(4 135

DE ACTIS
DIVI NICOLAI

UT SINCERIS, AC GENUINIS
EX VATICANO CODICE EXSCRIPTIS,
AC NUPER VULGATIS

HISTORICO-CRITICA DISSERTATIO

AUCTORE

D. LUDOVICO
SABBATINI DE ANFORA

Congregationis Piorum Operariorum,
Ac Sanctae Aquilanae Eccleſiae
EPISCOPO.

NEAPOLI MDCCLIII.
JOSEPH RAYMUNDUS
PUBLICA EXCUDEBAT AUCTORITATE

Digitized by Google

136

Digitized by Google

137

CAROLO
BORBONIO

NEAPOLIS, SICILIAE, AC HYERUSALEM
REGI,
HISPANIARUM INFANTI;
PARMAE, ET PLACENTIAE DUCI,
MAGNOQUE DUCI HETRURIAE &c.

LUDOVICUS SABBATINI DE ANFORA
Congregationis Piorum Operariorum
Epiſcopus Aquilanus
Perpetuam Felicitatem.

SUmmo, quo par eſt obſequio ad Te venio, POTENTISSIME REX, atque hanc meam Diſſertationem, quam modo typographicis formis conſignandam duco, Tibi offero. Quam Cl. Vir Nico-

Digitized by Google

*laus Carminius Falconius Eccleſiae San-
ctae Severinae in Brutiis Ulterioribus in
noſtro Neapolitano Regno Metropolita Di-
vi Nicolai Myrenſis Archiepiſcopi, vul-
go* Barenſis *adpellati, Acta ex ſua ſen-
tentia ſincera, ac genuina evulgaſſet,
communem ad hanc uſque diem opinionem
a doctiſſimis viris propugnatam de Myrenſi
tanti Viri Archiepiſcopatu fabulis fore ad-
cenſendam, ex iiſdem ſtatuit. Haec tamen
Acta meo judicio non ſincera ſunt, ſed ſup-
poſititia: quod oſtendere in hac opella mihi
in animo eſt. Hanc Tibi dicare ſtatui*, REX
INVICTE; *quum ſummum in Te erga
Myrenſem Pontificem obſequium ſit; atque
Templi praeclariſſimi, ac ob quotidianas
peregrinationes toto Orbe celeberrimi, ubi
ejuſdem Sacra Lipſana eximia veneratione
coluntur, quod a Majoribus tuis innume-
ris decoratum fuit donis, privilegiiſque,
Protectorem Te eſſe declaraveris; quum-
que inter ejuſdem egregii Capituli Cano-
nicos Principem locum pro tua modeſtia,
pietateque eo tempore occupare volueris,
quo, peregrinatione ſuſcepta, Divi Nicolai
Oſſa venerabilia, ſacrum liquorem manan-
tia, a Te veneratione ſumma culta ſunt.
Adcipe igitur*, CLEMENTISSIME REX,
*munuſculum hocce, quod Tibi devoto animo
offe-*

Digitized by Google

offero : illudque ut potentiſſimo Tuo Patrocinio protegas enixe expoſtulo. Vale, & diu vale ad Regni noſtri bonum, & decus, tutamen, & ornamentum.

Dabam Aquilae in Veſtinis XVIII. Calendas Januarias anno Aerae Chriſtianae MDCCLIII.

Digitized by Google

140

Digitized by Google

DE ACTIS

DIVI NICOLAI

MYRENSIS ARCHIEPISCOPI

HISTORICO-CRITICA DISSERTATIO.

HOCCE currenti anno Aerae Chriſtianae (*a*) MDCCLII. liber Neapoli prodiit, ſequenti titulo inſignitus; *Sancti Confeſſoris, Pontificis, & celeberrimi Thaumaturgi Nicolai Acta primigenia, nuper detecta, & eruta ex unico, & veteri Codice membranaceo Vaticano*. Quum poſt aliquos menſes ad hoſce Veſtinos Montes liber hic perveniſſet, aviditate ſumma a me lectus fuit, cum ob ejuſdem libri titulum, tum ob Au-

(a) *Quamvis in fronte libri legatur*; Neapoli anno Domini MDCCLI. Typis Joſephi de Bonis Publici Typograhi; *& in quodam monito doctiſſimus Auctor dicat pag.58. col.* 1. Quarto Idus Septembris anni hujus 1751. dum ultimam typis admovebam manum; *utrobique pro currenti anno* 1752. *a Typographo poſitum fuiſſe annum* 1751. *pro certo habeo: quum ante Prolegomena utriuſque Imperii facultas pro libri impreſſione fere cadente anno* 1751. *legatur conceſſa. Quo pacto ergo quarto Idus Septembris* 1751. *ultima typis admovebatur manus, nondum Praeſidum facultate, ac adprobatione obtenta? Recte ergo diximus, hocce currenti anno* 1752. *typographicis formis fuiſſe conſignatum.*

142

Auctoris vere praeclariſſimi, & amici meritum (a), doctrinamque. Quid de libro cenſeam, hac mea Diſſertatione aperire ſtatui: non ut Cl. Virum ſumma mihi amicitia junctum laederem, ſed ut veritati ſtuderem: commune effatum ſequens; *veritatem amicitiae abſque dubitatione ulla eſſe praeferendum*. Acta enim, quae Cl. Vir *ſincera*, & *primigenia* adpellat, ſuppoſitionis nota inurenda eſſe pro certo habeo: quodque pro meo more, non adſero tantum; ſed probare ſtudeo, Num verum cenſeam, judicent Eruditi, quos inter, te, Amice, cordateque Lector & enixe precor; ut de hac mea opella judicium proferas rectum.

CAP.

(a) *Auctor eſt ignotus nemini. Ob ſui doctrinam, meritumque a Clemente XII. ad Marturanenſem regendam Eccleſiam in Brutiis citerioribus adſumptus fuit; deindeque a Benedicto XIV. immortalis memoriae Pontifice (cui Neſtoris annos deprecor), Eccleſiae Sanctae Severinae in Brutiis ulterioribus electus Metropolita. Eximiam Cl. viri doctrinam norunt amici, norunt omnes. Anno 1712. alterum librum publici juris fecit; inſcriptum* l' intera Storia di S. Gennaro &c. *Et quamvis Eruditi, Criticique omnes Divi Januarii Acta ſincera eſſe non cenſeant; immenſae eruditionis opus eſſe arbitrantur. Anno dein* 1747. Q. Caſſii Dionis Coccejani Romanae Hiſtoriae ex ejus octoginta libris *tomum primum edidit. Multa alia opera ſuo tempore publici juris facienda ſervat* Cl. *Auctor: de quo ſilere magis cenſeo, quam alia dicere; quum omni laude ſit major.*

Digitized by Google

C A P. I.

Cl. Viri Nicolai Carminii Falconii de Divi Nicolai Actis judicium adfertur.

SAEPISSIME doctiſſimus Vir de Actis a ſe nuper publici juris factis ſuam adfert ſententiam, ſemper ea ut genuina commendans. Aliqua ejus verba proferre cenſeo.

Sic ejus liber incipit; *In Sancti Confeſſoris, Pontificis, & Thaumaturgi Nicolai Acta antiqua, quae deteximus Prolegomena*. 1. *Quaeſitam diu, & hactenus incognitam, ne dum inacceſſam Provinciam, Dei beneficio me cenſeo occupare, dum Sancti Pontificis, ac Thaumaturgi Nicolai primigenia geſta nactus; eadem, ut cum eruditis communicem me religio ſancta impellit, monens: Arcana Dei, eſſe honorificum revelare. Ad hoc etiam ego cogor; quod aliàs mihi ipſi, meoque muneri me deeſſe duceretur, ſi defoſſo tanto theſauro, terra contegerem illum iterum; labore victus, aut difficultatibus magnis territus: quae gloriae ſolius Dei, & veris beatiſſimi Viri geſtis, ob humanas rationes conſultum nollent. Mihi proinde diu multumque deliberanti, diverſa ratio: & cum de Nicolai diſſero vera gloria, Univerſum ſpectatorem opinor Orbem, judicemque, ni fallor, clementem, & aequum cenſeo: dummodo a vere doctis, piis, & bonis judicer: hos etenim ego ſequor. Qui cum ſint veritatis, quae Deus eſt, ſingulariter amatores; hujuſmodi fortes milites, eorumque felices pugnas commendant: utpote adverſus male ſanas, antiquas narrationes;*

quae

144

quae in Nicolai vitam ab octavo ſeculo impuniſſime convolarunt .

2\. *Quamobrem vera , & primigenia illius geſta , demerſa dolebant omnes : cunctique eruditiores, conſpiciebant , & fatebantur ; quae Nicolai acta circumferebantur , ea cuncta , futilia eſſe , & levia ; inque iis , ubi pedem tuto figeres non baberi . Dumque boni viri , doctique , & religioſi , antiqua acta deſiderabant ; ſoli zelotae quidam , ſtandum vulgatis eſſe jubebant : nec fruſtra , meliora vulgatis ſuis optanda , aut quaerenda , indignabundi , & ſevero, ſupercilio edicebant . Aut ſi ſecus placeret inquiſitoribus ; expectandum fore a tempore hoc beneficium : ipſis procul dubio futurum numquam . Sarchaſmoque iſto , adhuc indormiebant , cum tempus illud , & advenit , & ceſſit : & quo pacto , de repente res haec evenerit , eſto exponam .* Cap.1. fol.2.col.1. *Sumſi proinde Graecum Codicem num.* 821. *in quo, inter alia , Acta primigema reperi Nicolai .* Saepiſſime haec Acta genuina adpellat : & tandem , ut caetera omittam , poſt Actorum complementum pag. 29. & ſeq. haec habet ; *Atque haec vera ſunt Acta S. Nicolai Epiſcopi primigenia , & genuina ; numquam hactenus Graece edita , vel Latine ; & ab Eruditis ſemper deſiderata : quod mihi a Deo fuerant reſervata . Scripta autem illa ſunt ab Artena Archimandrita , ejuſque diſcipulo (ut in Praefatione latiſſime demonſtravimus) & immediate ſucceſſore , ut in monaſterio Sionita : anno , reor , immediate poſt mortem Sancti : quae ex bis temporum notis , accedit anno Chriſti* 551. *magna quidem ſimplicitate ſcripta , ſed ſumma fide ; utpote ab aequali familiari , religioſo , &*

ex

Digitized by Google

ex domeſticis monumentis , quae in monaſterio ſervabantur . Et hinc factum , ut externis temporum notis , hominum , & locorum adamuſſim , perpetuo quadrent maxime . Quo tamen fato , ea tamdiu latuerunt , dixi quoque in Praefatione .

Num haec inter ſincera Divorum Acta ſint adnumeranda , nunc eſt proſpiciendum : eaque adſerenda ſunt , quae meam ſententiam firmant , corroborantque : quod enim de hiſce actis judicium meum ſit , ſupra adſerui , iterumque adſirmo : Si enim a me petant eruditi , quid de hiſce Actis cenſeam , quamque fidem merentur , clare , & rotunde reſpondeo ; Divi Nicolai a Cl. Viro nuper vulgata acta nullius eſſe ponderis , ac inter ſuppoſititia amandari debere : proindeque fidem merentur nullam ; quodque ex ſequentibus manifeſtum erit .

C A P. II.

Vaticanus Codex , ex quo haec Acta deſumta ſunt , examini ſubjicitur .

SI Vaticano Codici , ex quo Divi Nicolai Acta , ut genuina adlata , deſumta ſunt , nullam fore adhibendam fidem probavero , mea ſententia veritati adparebit innixa . Et revera hoc probare in praeſenti compellor . Quo ſeculo confectus eſt Codex ? Seculo decimo . En Cl. Falconii verba in Prolegomen. cap. 8. n. 1. pag. 9. col. 1. in fine ; *Et ante omnia*

Te-

146

Textum emaculo in primo capite ab adſcititio gloſſemate, quod antiquitus (a decimo ſaltem ſeculo ; quae aetas creditur unici noſtri Codicis) in ipſum irrepſit, devoti manu, ſed infidelis amanuenſis. In ortu Sancti, nunc legitur, quod ſimul ac natus eſt, virtute Dei, rectus pedibus ſuis (cui gloſſema aliud additum alii, nemine ſuſtentante) ad duas ferme horas, dum lavaretur, ſtetiſſe in pelvi. Ab amanuenſi (monui ſupra) iſthaec adjecta, ut ſuum prodigioſum, & admirabile, veris infarciret : & rationes ſubjunxi, quae rem deſtruerent. His non contentus, alter non amanuenſis, ſed lector interpolator (Codice ſat poſterior), interlinealiter ſaltem, jejunium immittere voluit ; a puero, ſtatis diebus feriae quartae, & ſextae cujuſque hebdomadae, a lacte matris, regulariter obſervatum. Cap. 9. n. 1. fol. 12. col. 2. idem adſerit ; *Putandum proinde eſt, antiquius ſeculo decimo, quo haec Acta noſtra deſcripta ſunt in illo Codice ſcriptum eſſe.* Habes ergo, amice Lector, Codicem decimo ſeculo ſcriptum : *a decimo ſeculo, quae aetas creditur unici noſtri Codicis.* Et codicem decimi ſeculi aetatem non excedentem, qui Acta Divi Nicolai pluribus ante ſeculis defuncti continet, pro genuinis ſuſcipere, debemus ? Credat hoc Judaeus Apella, ut Poëtae verbis utar, non ego. Neque reſpondere juvat, Artemam Actorum Divi Nicolai ſcriptorem, ejus Fratrem fuiſſe ; nam ex pluribus rationibus, quas adferemus infra, hoc etiam falſum eſſe patebit, & apertiſſime.

Ex adlatis autem nuper Cl. Falconii verbis alias probationes eruimus ſententiae noſtrae plu-

Digitized by Google

147

rimum obſecundantes. *Textum emaculare* debuit doctiſſimus vir *ab adſcititio gloſſemate, quod antiquius in ipſum irrepſit devoti manu, ſed infidelis amanuenſis*. Et infideli amanuenſi fides eſt adhibenda? Judicent eruditi. *In ortu Sancti nunc legitur*, Cl. Falconii verba ſunt loco ſupra laudato, *quod ſimul ac natus eſt, virtute Dei rectus pedibus ſuis (cui gloſſema aliud additum alii, nemine ſuſtentante) ad duas ferme horas dum lavaretur ſtetiſſe in pelvi, ab amanuenſi &c.* & codicem, cui ab inſciis, infidelibuſque amanuenſibus tot ſunt *gloſſemata* addita, ut ipſius verbo utar, ſincerum dicemus? Criticae leges id adſerere omnibus prohibent. *Ab amanuenſi (monui ſupra) iſthaec adjecta, ut ſuum prodigioſum, & admirabile, veris infarciret: & rationes ſubjunxi, quae rem deſtruerent. His non contentus, alter non amanuenſis, ſed lector interpolator (Codice ſat poſterior) interlinealiter ſaltem, jejunium immittere voluit; a puero, ſtatis diebus feriae quartae, & ſextae cujuſque hebdomadae, a lacte matris, regulariter obſervatum*. Amanuenſi, qui aliqua adjecit, ut prodigioſam, & mirabilem narrationem veris immiſceret, credendum eſt?

Nuper adlata ultima verba ponderemus. *His non contentus, alter non amanuenſis, ſed lector interpolator (Codice ſat poſterior); interlinealiter ſaltem; jejunium immittere voluit: a puero, ſtatis diebus feriae quartae, & ſextae cujuſque hebdomadae, a lacte matris, regulariter obſervatum*. Et Codicem ſeculo X. confectum, ab amanuenſibus, & a lectoribus tot lacunis, falſitatibus (a),

148

(*a*), ac interpolationibus conſpurcatum ſincerum adpellabit, qui ut Criticus audit?

Non uno loco autem doctiſſimus Falconius, a ſinceritate ſibi propria non recedens, amanuenſem reprehendit, & merito, qui vera falſis immiſcuit. In Prolegom. cap. 4. fol. 4. col. 2. in ſine, & ſeq. *Tum monuit* (Epiphanius nempe), *quod in pelvi, dum lavabatur infantulus, Dei virtute ſtetit rectus ad horas duas. Seu ut anno* 1087. *Lycius cuſtos Sepulchri Myris, ex actis iſtis tradidit. Cum balucaretur, dimidia fere hora, nemine ſuſtentante, rectus in pedibus ſuis ſtetit. Veroſimilius iſte habet: auxeſis placuit illi, qui antiquius haec acta eſt interpolatus; voluitque beatum puerum, ſemper quarta, & ſexta feria per annum (de more Eccleſiae Orientalis) a lacte matris abſtinuiſſe. Ad haec praeterea adhuc quaero, an ſui poterant, ad duas ferme horas, neonatum, nudum in pelvi (& qua parte anni, ſi fuit hyems) conſiſtere, & ſubſtinere? Sed non infrequens in magnos puteos decidere magnas ſitulas; & difficillime expiſcari.* Ex hac ſyncera Cl. Archiepiſcopi confeſſione habemus Acta haec eſſe interpolata, & corrupta. Num hiſce interpolatis actis corruptiſque credendum ſit, ejuſdem Falconii doctiſſimi, & Critici ſummi judicio ſtare libenter volumus.

Sincerior eſt ejuſdem doctiſſimi Eccleſiae Sanctae Severinae Archiepiſcopi confeſſio ſequen-

(a) *Ibidem Cl. Falconius cap.* 9. *num.* 1. *fol.* 9. *col.* 2. ab amanuenſi monui ſupra, iſthaec adjecta ut ſuum prodigioſum, & admirabile veris infarciret: & rationes ſubjunxi, quae rem deſtruerent.

Digitized by Google

queritibus verbis expreſſa. In Prolegom. cap. 7. num. 1. fol. 7. col. 2. *Ut Philippus Metropolita, in praedictam Pinarorum civitatem, noſtrum miſit Epiſcopum Nicolaum; poſt tres annos Artemas (ne quid diſſimulem, quod mei non eſt candoris) primum Nicolai acceſſum ad eam urbem, ut iniret ejus poſſeſſionem: atque uti ab ſua Eccleſia exceptus ſit, nullus dicit. At hoc erat: hoc in primis eſt neceſſarium: & quo in ſtatu invenerit Eccleſiam ſibi impoſitam: ut quid novus Epiſcopus, & tantae ſanctitatis & zeli, in ea ſit operatus, non lateret. Omiſſam hanc primam, & magnam Paſtoralis ſollicitudinis partem, & in tanto onere ſubeundo, & miracula, & beneficia a Nicolao primitus ibi facta. Quae Deus ei contulerit, ad conciliandam magis vero ſanctiſſimo auctoritatem, reverentiam, amoremque novellae ſponſae, quae tunc, (ut cum Strabone vidimus) civitas erat maxima, praeſertim unita Didymis. Haec, inquam, etenim nullo pacto reor, Artemam reliquiſſe, aut relinquere potuiſſe. Putem potius, haec omnia, ſummo fato omiſſa, & ita deperdita; dum dormitans antiquior amanuenſis exſcripſit; & ea cuncta ſupergreſſus, volitans oculus dereliquit. Damnum hoc eſt irreparabile, & lugendum maxime; quod alium horum actorum Codicem (ex ſumma Myrenſium malitia) non habemus. Deplorato itaque hoc naufragio, nec Artemam criminati (ut quod eſt prorſus inveriſimile, ſaltem ob miracula, haec neglexiſſe) opus eſt, ut hic nobis dehiſcat terra; & hiatus fiat, quin vorago, in quam cogimur vel immergi; vel ſaltare (quod non fert animus) tantum barathrum.* Amanuenſem ſequitur ergo, *qui excri-*

pſit

150

pſit dormitans, *ac innumera ſupergreſſus*, *ea volitans dereliquit*. Si id faciemus, merito nobis exprobrabunt eruditi, Divi Auguſtini verba objicientes; *Dormientes (a) teſtes adhibes?*

In eodem cap. 7. num. 6. fol. 8. col. 2. erraſſe amanuenſem adſerit; *In quo*, in temporum notis nempe, *facilius erravit amanuenſis*. Et n. 8. fol. ſeq. col. 1. quum ſibi oppoſuiſſet, quare de Geſtis D. Nicolai in Epiſcopatu ſileat perſonatus, ex mea ſententia, Artemas, ſic ait; *Sane ad hoc ſilentium, non habeo quid reponam. Arteman reticentiae incredibilis non accuſo: amanuenſem utrobique inſimulo: qui pertaeſus prolixitatis, praetermiſerit, quae praeter miracula, neceſſaria non credebat. Accuſatio excuſatoria, non in Verrem, ſed pro Rabirio, & pro Muraena. Scimus Nazianzenum invitum ordinatum Epiſcopum Cyzicenum, numquam hanc Eccleſiam adiiſſe: Scimus Michaëlem Ducam, a Botaniata Nicephoro ſpoliatum Imperio, e monaſterio Studii eductum, & electum, ordinatumque Epiſcopum Epheſinum; eò ut ſuam adiret Eccleſiam, ſemel profectum eſſe. Hinc tanta humanarum rerum, & viciſſitudinum nauſea ductum eſſe; ut illico ad ſua clauſtra redierit, & ibi vixerit uſque ad mortem. Sed item ſe geſſiſſe inthronizatum Nicolaum, nemini unquam dictum, vel cogitatum. Num Scriptor religioſus abhorruit mores, vitia, tricas aliquas cleri, & populi traducere, vel taxare? Praecipue, ſi calumnias in ſuum Epiſcopum ſtruxiſſent, quae non raro ſanctiores exercent*

cent

(a) *S. Aug. tom. 8. op. in Pſalm. 63. ad illa verba*, Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus *ſol. 265. col. 2. lit. D.*

Digitized by Google

tent Praeſules. Et idcirco ne maledicus videretur; etiam ab eorum contactu abſtinuit: & ne a miraculis collatis, & beneficiis ad maleficia, & crimina enarranda ſuis Monachis cogeretur; quae ſeculum, & non clauſtra ſapiebant, voluit potius reſecaſſe? Ex magno ſilentio, tantae ſuſpiciones mihi, quae forſitan ab iis erunt plures. Amanuenſi, qui ex Falconii ſententia inſimulandus eſt, qui plura reticet, reſecat, falſaque, ut ſuperius dictum eſt, & probatum, immiſcet veris, ut ſincero Auctori adhibenda eſt fides? Nulla profecto.

CAP. III.

Vaticanum Codicem ſincerum non eſſe iterum oſtenditur.

UT clariſſime noſcat amicus, doctuſque Lector Vaticanum Codicem, ex quo haec Acta exſcripta ſunt, quem ſincerum eſſe adſerit Clar. Falconius, nullam fidem mereri, illum plura falſa continere iterum oſtendemus.

Sit Falconius pro nobis item Judex, & Cenſor. Poſt Divi Nicolai Acta pag. 30. col. 1. haec habet doctiſſimus Auctor; *Quae poſt haec, ab obſcuriſſimis Anonymis, ſeptimo vel octavo ſeculo, ex eodem cerebello prodierunt, ineptiſſima, & inſulſiſſima; tamquam ab hominibus ejuſmodi male feriatis, & male ſuta, non mererentur quidem ea amplius lucem videre: ſed nobis in Eruditorum gratiam placet, ea hic idem Graecolatine*

Digitized by Google

date. Hinc initium mihi eſto a ſequentibus, quae in fine ſeptimi ſeculi, & in octavo, Deo irato, ipſis placuit comminiſci: non pro vera, ſed pro falſa gloria in Sanctum Dei. Quaſi Sancti gaudeant, & gratiſſimum Deo ſit, eorum fabulis, & falſitatibus exaltari: obtentuque Religionis, & Fidei ſalva manu, & Populum decipere Chriſtianum. Ex eodem Vaticano Codice quaedam Divi Nicolai Acta adſert pag. 30. & ſeqq. pag. 34. & ſeqq. deinde pag. 38. de hiſce Actis hocce judicium adſert. *Admonitio. Qui hoc, & ſuperius peripſema, ſeptimo, & octavo ſeculo ſunt commenti (praepoſtera quidem, & caeca nimium phylaucia) cives eos Myrenſes reor: Ut qui Andriaces portum, diſtantiam a Myris, hujus Plateas, Forum, Templa Martyrum, Vicos, Portas, & patibuli locum & nomen, notant. Unus autem, an duo fuerint, adhuc quaero. Potius autem unum duco; e ſtylo pari puerilique modo, de rebus ſanctis cogitandi, ſcribendique, & ſua de trivio charontica dictione. Sed qui in immodeſtia, atrocibus injuriis, & minis ferreis in Majeſtatem, in Praefectum Conſtantinop., in Praetorem Myrenſem, liberrime, & thraſonice ante fuerat debacchatus; in hoc ſecundo, Tributi, ad reverentiam, & modeſtiam, humilitatemque (quod forte cunctis diſplicuiſſe vidit in primo) ſe compoſuit, & moderavit. Firmus tantum (forſan in honorem SS. Trinitatis) cum omnia ad Trinum voluit exegiſſe: Tres injuſte damnatos, treſque Duces, a morte, & calumnia liberatos, dum adhuc viveret. Pari modo, cum alius imitatus, tres quoque*

que

Digitized by Google

que nuptui datas Virgines, *dicit : quem nuperus fabulator ſequutus*, *tres pueros lancinatos*, *& mu-ria ſervatos & venundatos fidentiſſime finxit*. *Quid illa nomina Nepotiani*, *Urſi*, *Herpylionis* (*qua-le nomen!*) *Euſtathii*, *Eudoxii*, *Simonidis*, *Hi-larionis*, *& Theodoſii* ; *ut accuratiſſimum ſe oſtenderet*, *& magis vera ſe dicere crederetur ? Quid illud ſomnium defectionis Taiphalorum a Con-ſtantino ? Quid illa Thraſonica projectio enſis*, *e manu Speculatoris*, *& effractio forium Praetoris anonymi Myrorum ? Quid illud* αὐτεξούσιον *in Eu-ſtathium ? mitto nomina officiorum ſui ſeculi ſequio-ris* ; *Capiclarium* ; *Protonotarium* ; *Protocurſores*, *Imperatoris Conſtantini Magni*, *& Praefecti urbis Ablavii* (*quem neſcio unde didicit*). *Mitto Ba-ſilicum anonymum* ; *nam Baſilicus nomen eſt offi-cii* (*quem facile & bene vertas*, *Auguſtalem*) *ut modo alibi in Eccleſia Policaſtrenſi*, *in oppido Camarotae* ; *munus aliquod eſt*, *dictum Catholico*. *Tandem quid illud eſt*, *Deiparae Templum in Blachernis*, *magni tempore Conſtantini ? quod S. Pulcheria Auguſta an.* 431. *erexit*. *Quid illud penſile pallium ? Quid ille calamus tabellarius ? Sed haec & alia*, *latius ſumus in Prolegomenis proſecuti*. Habes ergo, Amice Lector, in eodem Codice Divi Nicolai falſa, & ſuppoſititia Acta. Quo pacto immediate in eodem Codice antecedentia acta ſincera eſſe arbitrabimur?

Acta ejuſdem Vaticani Codicis pag. 249. immediate poſt acta, quae Cl. Falconius ſincera cenſet hoc habent initium (*a*) ; *Temporibus*

(*a*) In op., de quo agimus, cui titulus, *S. Nicolai Acta primigenia fol.* 30. *col.* 2.

Digitized by Google

154

quibus Conſtantinus Imperator imperabat. Alia acta in eodem Codice imediate poſt nuper relata ſic (*a*) incipiunt : *Temporibus Conſtantini , noſtri piiſſimi Imperatoris , exiit tale edictum ab iis , qui exigendae rei tributariae erant praefecti , ut , ob innumeras exactiones , Myrorum metropolis pene peſſundaretur* . Narrat igitur idem Codex , Divum Nicolaum tempore Conſtantini quarto Chriſtiani nominis ſeculo floruiſſe , & tempore Juſtiniani ſexto aerae chiſtianae ſeculo , nam acta , quae genuina cenſet Falconius ſic habent in ultimo capite *fol. 29. Dei autem Servus , & Sanctiſſimus Nicolaus defunctus eſt juxta Dei benignitatem , menſe Decembri , die ſexta feria quarta , Indictione decima tertia , ſub imperio amantis Chriſti , Imperatoris noſtri Juſtiniani anno decimo octavo* . Has Chronologicas notas uti falſas reſpuemus infra. In eodem opere pag. 82. quoddam miraculum narrat ; a divo Nicolao patratum quod ipſemet Falconius longa enarratione reprehendit , ut videre eſt pag. eadem , & ſeqq. in notis . Inter alia haec habet pag. 82. literula (*a*) *Anno 871. &c. paſſim Saraceni per Calabriam , & Campaniam . Sub hoc fundamento , haec ſtructa eſt fabula a quoquam Calojero , cujus intererat ſua Imago : ſtulte ſecum reputans , ſuo hoc pio figmento , ſeptimam , octavamque Synodum convallare . Sed fulciri fabulis , nunquam indiguit dogma fidei . Incipiunt fatuitates . Publicanus , relicto telonio , proceſſit cum aliis*

popu-

(*a*) Ibidem fol. 34. ubi ſic lego ; *In eodem Vaticano Codice* 821. *immediate ſequitur pag.* 256.

Digitized by Google

populatum. Sola imperitia iſtud credet. Sed officinam quaerebat fabula, & inferius pateſiet, cuinam uſui. Fol. ſeq. literula (a) ſic ait; *Nemo Chriſtianus, ne pientiſſimus quidem, ita deſipuiſſet, ne tentaret Deum, & ad miracula eum adigeret; & nemo Ethnicus, qui nec Deo, nec in Chriſtum credebat, & multo minus Nicolao, & ejus Imagini, ut ſua omnia relinqueret tanti pretii, aperto oſtio, Imagini ſoli cuſtodienda. Aſinus haec egiſſet; barbarus certe non fecit. Nec feciſſet quidem, confidentiſſimus Calojerus, qui hoc narrat.* Ubi exſtat haec fabuloſa narratio? In eodem Vaticano Codice, ubi acta ſincera extare cenſuit Cl. Falconius. Unde in eadem pag. 82. ait. *Ex pluries allato membranaceo cod. Vaticano num. DCCCXXI. pag. 260.* Qui fabellae cum veritate convenient? His addere in animo eſt, haec poſteriora Acta, quae in eodem Vaticano Codice leguntur pag. 249. & ſeqq. & pag. 256. immediate poſt haec nova Acta, quae genuina cenſet Cl. Falconius, ſuſpicionem nobis injicere ab eodem fuiſſe confecta: eſto idem doctiſſimus Falconius adſerat acta, quae genuina cenſet, *eleganti, recto, ac correctiori charactere* (in Prolegom. cap. 2. num. 1. fol. 2. col. 1.) fuiſſe conſcripta. En ejus verba: *Depingo Codicem curioſo. Membranaceus ipſe eſt, in forma octava; ſed charactere deſcriptus vario, ex multis manibus. Vera autem Acta noſtra, compacta aliis, antiquiori ſunt charactere, eleganti magis, recto, & correctiori: quod proinde oculos allicere poterat curioſos; nec factum eſt.* Quinam

Digitized by Google

156

igitur, qui ut eruditus audit, mecum non cenſebit, Codici Vaticano nullam fidem fore praeſtandam? Sic enim criticae leges omnibus de hiſce, ſimilibuſque fabellis judicare jubent.

Non unum autem priſco tempore extaſſe horum Actorum Codicem, ſed plures, eoſque omnes mendoſos, depravatoſque idem Cl. Falconius adſerit ejuſdem verba audiamus in Prolegom. cap. 9. num. 1. fol. 12. col. 2. *In actis noſtris diſerte habemus, Nicolaum diem ſuum obiiſſe, ſedente Sanctiſſimo Archiepiſcopo, & Patriarcha Macario. Ac ſanctum ejus corpus eſt depoſitum &c. Nec abſimiliter ipſa undecimo ſeculo legebantur, latine verſa, ex alio horum Actorum Codice. Quippe alter Neapolitanus noſter Anonymus, (a nobis hic pag. 124. editus) ſcribit id factum, ſub ſanctiſſimo, & beatiſſimo Patre noſtro, Patriarcha Macario*. Exſtabat ergo alius horum actorum Codex ſeculo undecimo, quod legit Neapolitanus Anonymus a Falconio editus pag. 123. (*a*) & ſeqq. Quid autem in iſto alio acto-

(*a*) Pag. 112. & ſeq. vitam adfert Divi Nicolai a Johanne Eccleſiae Neapolitanae Diacono ſcriptam, quae numeros, ſive capita XVII. habet. Ea autem, quae ſeqq. pagg. ab Anonymo Neapolitano ſcripta ſunt, Johannis Diaconi non eſſe clare patet, quum hic pag. 113. col. 1. adſerat; *Exceſſum vero ejus* (Divi Nicolai), *qualiter a ſeculo abierit, ideo non ſcripſimus, quia nuſquam illum invenire potuimus*. Quia autem nu. ſive cap. 18. pag. 123. ejuſdem mortis fit mentio, haec non a Johanne Diacono, ſed ab Anonymo ſcripta, fuiſſe certiſſimum eſt.

Digitized by Google

157

Actorum Codice legebatur, ex Anonymo audiamus ap. eumdem Falconium pag. 123. in fine; *Dormivit autem in ſenectute bona & poſitus eſt ad Patres ſuos ſervus Domini beatiſſimus Nicolaus Myreæ Civitatis Epiſcopus ſecundum ordinationem Dei menſe, qui eſt apud Achæos decimus apud nos autem duodecimus, qui eſt December. Cujus exſtitit dormitio in Chriſto, ſexta feria, die ſexta intrante eodem menſe: Ideſt octavo Idus Decembris; tertiadecima Indictione, Imperante Chriſtianiſſimo, & Dei cultore, Imperatore noſtro Juſtiniano, anno trigeſimo nono Imperii ejus: ſub ſanctiſſimo, & beatiſſimo Patre noſtro, Patriarcha Macario*; & poſt pauca; *cum quibus omnibus, eandem aulam optime perornat ſacer, almus meritis, magnus* (Nicolaus). *Qui pro nobis omnibus, apud Dominum interceſſor exiſtat aſſiduus. Floruit autem a tempore Conſtantini, filii Conſtantini Senioris, & Helenae Reginae uſque ad tempora Juſtiniani Imperatoris*. Tempore Conſtantini uſque ad Juſtiniani Imperatoris dominium Divum Nicolaum vixiſſe tradit, quum Conſtantinus an. 337. obierit, ſexto autem ſeculo Juſtinianus. Qua de re ſic eum irridet Falconius pag. 124. in notis literula (*a*) *Breve equidem ſpatium! annorum ducentorum! A Conſtantino M. ad Juſtinianum. Bellus conciliator, & melior hiſtoricus*. Ex alio horum Actorum Codice, eodem Falconio teſte cap. 9. n. 1. in Prolegom. fol. 12. col. 2. haec eruit Anonymus Neapolitanus: *Nec abſimiliter ipſa undecimo ſeculo legebantur, latine verſa, ex alio horum actorum Co-*

Digitized by Google

158

dice. *Quippe alter Neapolitanus noſter Anonymus* (*a nobis hic pag.* 124. *editus*) *ſcribit id factum &c.* Pulchros revera Codices, magnique faciendos (tum de Vaticano loquor, ex quo ſua Acta excripſit Cl. Falconius, tum de alio ſimili Codice, quem ad manus habuit Anonymus Neapolitanus,) qui tempora confundunt; ſecula contrahunt, totque falſitatibus, atq. anachroniſmis innumeris ſcatent.

Adſerit tandem Cl. Falconius a ſe tantummodo Vaticanum Codicem fuiſſe obſervatum. En ejus verba in Prolegom. cap. 2. num. 1. fol. 2. col. 1. *Hinc primitus occepi deſcribere acta vera quae a ſexto ſeculo viderant nunquam lucem; & quale gaudium, & exſultatio! a clementiſſimo Deo, mihi tantum fuiſſe, Theſaurum hunc reſeratum: & ſi hunc Codicem ſaepe alias allegent Bollandiſtae. Et idcirco ſtupendum magis, quod iidem, aut eorum amanuenſes, videntes illum, non deprehenderint, non exſcripſerint.* Plura in contrariam nos cogunt abire ſententiam. Omittimus ejuſdem Codicis, aliud exemplar ab Anonymo Neapolitano fuiſſe undecimo ſeculo obſervatum, ut ſupra dictum eſt, quodque etiam aliis contigit; nam ipſemet Cl. Falconius haec habet in Prolegom. cap. 11. num. 4. pag. 15. col. 2. *Ita factum putem, ut acta haec noſtra defoſſa, neglecta, nec a quoquam amplius deſcripta, tractu temporis perierint. Cum autem omnis eorum memoria, & apud omnes penitus deperierit, equidem adhuc quaero: ſed deprehendo apud tres, vel quatuor (ſummum quinque) ſed ſine uſu. Rei-*

pu-

Digitized by Google

publicae , per varias temporum vices , a decimo ſeculo , & deinceps , viſa & lecta fuiſſe ; non ad veritatem elucidandam , ſed majoribus tenebris obruendam . Hae cauſae , cur tamdiu latuerint Acta noſtra . Caeterum , qui per ea tempora uſque ad nos legerit , ſit uſus quidpiam Actis hiſce eorum primus deſcriptor , ſeculo fuit decimo Metaphraſtes : ſecundus ille Neapolitanus Anonymus , qui in lectiones redegit ſeculo undecimo , quae Johannes noſter Diaconus ſcripſerat nono ſeculo . Tertius , Myrenſis quidam cuſtos ſepulcri , & corporis S. Nicolai (ſive ſub ejus perſona Venetus) poſt annum 1087. *ſeculo undecimo . Quarto alius noſter Neapolitanus Clericus , decimotertio ſeculo :* Deinde P. Antonium Beatillum adſerit , hunc Codicem exſcripſiſſe , & occultaſſe , ut mox dicemus. In Prolegom. cap. 7. num. 4. fol. 8. col. 2. ſic ait idem Cl. Falconius ; *Cum Artema jungit Hermam presbyterum , Neapolitanus ille clericus , Johannis diaconi perſonatus , qui haec eadem enarravit . Et forte an non hoc erat in actis noſtris undecimo ſeculo , cum ille Anonymus ea legit . In quo videtur notandum , alios tantum ſolitarie dixiſſe fratres ; Artemam vero , & Archidiaconum Nicolaum Vicariumque ſuum (non Monaſterii quidem , ſed Pinarorum) genuinos ſuos dixiſſe fratres : quod ni fallor , innuit fratres carne . Duos autem fratres nomine Nicolaos , inveriſimile . Artemas ergo major natu , Sancto fuerit vere carnalis frater ; alter hic Nicolaus , fuerit patruelis .* Et pag. 141. in notis ad Chronici Fratris Jordani fragmentum literula (g) : *vere in ore duorum , vel trium ſtat omne*

ver-

160

verbum. Poſt Metaphraſtem, & noſtri Joh. Diaconi Summiſten, tertius hic eſt, qui S. Nicolai meminerit, exſcripſerit acta antiqua. His tamen omiſſis ita arguimus; quo pacto adſerendum eſt hunc Codicem a nemine neque obſervatum fuiſſe, neque exſcriptum, ſi ea quae in ipſo continebantur, ab Antonio Beatillo, data opera, occultata fuere? Eumdem Cl. Falconium hujus rei teſtem locupletiſſimum habemus. In Prolegom. cap. 2. num. 1. fol. 2. col. 1. *Quod modo tandem, poſt annos triginta, eſt actum: & pio deſiderio factum ſatis, Cl. viri Bollandiani; qui mihi querenti. ab eo de actis veris, reſcripſit:* Acta vera & genuina quaeris S. Nicolai, quae hactenus num alicubi ſint, nemo novit. Atque utinam aliquando (niſi perierint) e latebris aliquibus prodeant in publicum: quumque haec dixiſſet in adnotatione literula (*a*) ſubdit: *Beatillus, qui eis miſit omnia; & haec data opera occuluit, ſuos fecit ſocios, negligentes.* cap. 11. n. 4. fol. 15. col. 2. de iis verba faciens, qui Codicem exſcripſerunt: ait: *Quintus, Pater eſt Antonius Beatillus, qui anno* 1620., *ex eodem noſtro Codice Vaticano ea habuit, iiſque uſus, abuſus eſt; & omnium maxime, clanculo, & turpi ſilentio ea obvolvit, ut ſua commenta venditaret.* Et pag. 141. in noti literula (*g*) *quid quod Beatillus etiam, quarto loco, haec acta noſtra habuit e Vaticana, & legit? ſed detorſit, occuluit: quod non ſonabant Conſtantinum Magnum, nec Myrenſem Archiepiſcopum Nicolaum. Mater Sancti, ei. eſt Johanna, non Nonna (nomen iis tem-*

pori-

Digitized by Google

161

poribus per Graeciam uſitatum : bene , & recte Pater eſt Epiphanius : conſer alia ; & fidem , ſolertiam hominis demirare . Quid multis ? omnia expilat acta , corrumpit , detorquet , ubi ipſi non ſedent ; ut conſerenti patebit : & ſumma vafritie verſipellis , ea nedum non citat ; ſed etiam omnibus , ſuo quoque Bollando , cui tanta miſit , ſummo ſtudio occultat . Itaut modo ejus Patres Antuerpiae , praeter haec , habeant ferme omnia Nicolai : reſtibus mihi Sollerio , & Janningo . Si nuper tranſacto Chriſtiani nominis ſeculo Beatillus haec acta obſervavit , occultavitque , quomodo adſerere potuit Cl. Falconius in Proleg. cap. 2. num. 1. fol. 2. *Et idcirco ſtupendum magis , quod idem , aut eorum amanuenſes (de Bollandiſtis loquitur) videntes illum non deprehenderint , non exſcripſerint .* Codicem inſuper fuiſſe ſaepius obſervatum certo certius eſt , quum ſaepe illum *allegent Bollandiſtae* , ut ibidem fatetur Cl. Falconius . Obſervatus ergo fuit in reliquis , non in hiſce actis , quae ſincera credit eſſe Cl. Falconius . Codicem non magnae molis eſſe certiſſimum eſt , quum non folii praegrandis ſit , ſed *in octavo* , ut ipſemet Cl. Falconius adſerit pag. 1. ubi acta incipiunt . Igitur omnia obſervata ſunt . Quum autem ab Amanuenſi exſcriptus fuerit Codex , ac ad Clariſſimos Bollandiſtas tranſmiſſus , totum Codicem exſcriptum fuiſſe , credi debet . His omnibus aliam conjecturam nectere placet , quae magis noſtram roborat , firmatque ſententiam . Character , quo haec Acta ſcripta ſunt ex Fal-

co-

Digitized by Google

conii ſententia in Prolegom. cap. 2. num. 1. fol. 2. *antiquior eſt*, *correctior*, *& elegantior*. *Depingo Codicem curioſo*. *Membranaceus ipſe eſt*, *in forma octava*; *ſed charactere deſcriptus vario*, *ex multis manibus*. *Vera autem acta noſtra*, *compacta aliis*, *antiquiori ſunt charactere*, *eleganti magis*, *recto*, *& correctiori*: *quod proinde oculos allicere poterat curioſos*; *nec factum eſt*. Igitur, qui Codicem exſcripſit, actaque in eo contenta Bollandiſtis tranſmiſit, qui *eum ſaepe alias allegant*, quid fecit? Acta ſpuria, & ſuppoſititia deſcripſit, ſinceris penitus omiſſis, quae recentiori charactere ſcripta erant, exſcripſit, quae vero antiquiori dereliquit: quae charactere eleganti in eo legebantur, omiſit, ea autem quae minus comto deſcripſit: tamdemque iis, quae correctiori charactere ſcripta erant, omiſſis, quae depravata in eo cernebantur excripſit. Nimis ineptum Amanuenſem exſcriptorem habuiſſe Codicem hunc dicendum eſt, quum ea quae *antiquiori*, *eleganti magis*, *recto*, *& correctiori charactere* ſcripta ſunt legentium curioſitatem moveant, ac Amanuenſem ad ſcribendum invitent. Quum hoc omnibus Codicibus adcidat, praeclaro huic Codici nimis adverſo fato non contigit.

CAP.

Digitized by Google

CAP. IV.

Num Divus Nicolaus Pinarorum Epiſcopus fuerit, vel Myrenſium Archiepiſcopus, ponderatur.

PInarorum Antiſtitem a Philippo Archiepiſcopo Myrenſi fuiſſe Divum Nicolaum conſtitutum, Acta, quae ſincera cenſet Falconius hiſce verbis referunt cap. 29. fol. 26. *Poſt tres autem menſes, Philippus Sanctiſſimus Myrorum Archiepiſcopus, ei ſignificavit, ut deſcenderet in Metropolim. Erat autem dies Sabbati: & ſequenti ſancta Dominica, Sanctiſſimus Archiepiſcopus ipſi aperuit, de eo Epiſcopo ordinando. Ergo in introitu ad Synaxin, in ſancta catholica, & apoſtolica Dei Eccleſia Sanctae Irenis, ei ſchema tradidit Sacerdotii; eumque renunciavit, civitatis Epiſcopum Pinarorum; atque in praedictam Civitatem eum miſit.* Infra Cragum montem, qui octo ignivomos vertices habet, Urbemque prope ejuſdem nominis jacet Pinara, quae una eſt ex maximis Lyciae urbibus. Strabonem, Pliniumque audiamus. Strabo lib. 14. multo poſt med. to. 2. fol. 980. lit. B. C. *Maximae Urbium jus habent trium ſuffragiorum, mediocres duorum, reliquae unius, eadem proportione & trib. a pendunt, & reliqua obeunt munia. Artemidorus ſex maximas recenſet, Xanthum, Patara, Pinara Olympum, Myra, Ilon ſitam in tranſitu montis verſus Cibyram. In Concilio primum creatur Lyci-*

ar-

Digitized by Google

archa , ideſt Lyciae princeps . Pag. ſeq. lib. B. *In Cragum jacet Pinara , una de Lyciæ urbibus maximis : atque ibi Pindarus colitur , ejuſdem fortaſſe nominis cum Trojano :*

Qualis populea moerens Philomela ſub
umbra
Filia Pandarei .

Nam & hunc Lycium faciunt . Plinius lib. 5. cap. 27. fol. 91. *Locus Nymphaeum , ſolae Cilicii , nunc Pompejopolis , Adana , Cibira , Pinara , Pedalis , Nalix , Arſinae , Tabae , Doron* . Et poſt pauca fol. 59. *Promontorium Cragus . Ultra par ſinus priori . Ibi Pinara , & quae Lyciam finit Telmeſſus* .

Acta a Falconio ut ſincera habita , a nobis vero ut ſuppoſititia , contra omnium communem ſententiam Divum Nicolaum Pinarorum fuiſſe Epiſcopum conſtitutum , ut ſupra diximus , tradunt . Hos vero ab omnium opinione ad hanc uſque diem communiter recepta , non recedentes (tunc enim recedemus ab ea , quum robuſta , ac ineluctabilia argumenta id ſuadeant) Myrorum fuiſſe Archiepiſcopum adſerimus probamuſque : nequae haec acta fabulis referta , multiſque vitiis, anachroniſmis, falſitatibuſque redundantia , Falconio adhuc adfirmante , ullam apud nos habent auctoritatem . Et revera opus nt eſſet noſtram probare ſententiam . Pinarorum Epiſcopum dicunt tantum Acta : Quum autem , ſicuti ſupra demonſtravimus , & deinde luce meridiana clarius oſtendetur , haec Acta falſa ſint , ſuppoſititia , innumeriſque vitiis laborent ;

Digitized by Google

rent; communem deinde circa Myrenſem Archiepiſcopatum tenendam eſſe ſententiam, quis ſine inſcitiae nota audeat denegare? Ut tamen noſtra opinio, quae communis eſt, veritati ex omni parte adpareat innixa, adcipe, amice Lector, robuſta argumenta.

Circa Myrenſem D. Nicolai Archiepiſcopatum primo loco ad Clariſſimorum Virorum ſententiam adpellamus. In Prolegom. pag. 60. col. 2. in fine antequam Tillemontii, & Bailletii judicia adferat Cl. Falconius haec habet: *Supra aliquod judicium de, Nicolai rebus appoſuimus, Cl. Sollerii ad Uſuardum. Ad Triumviratum, deſunt Tillemontius, & Bailletius: quorum judicia ſunt ejus ponderis, ut pro innumeris aliis apud eruditiores noſtri ſeculi, habeantur. Incipia itaque a Tillemontio, ipſis verbis Gallicis, quibus ſcribit: quod fiet etiam in Bailletio. Si horum judicia ſunt ejuſdem ponderis, ut pro innumeris aliis apud eruditiores noſtri ſeculi habeantur*, quid de Divi Nicolai Archiepiſcopatu cenſeant videamus. Sollerius in notis ad martyrologium Uſuardi ad diem 6. Decembris to. 7. Junii part. 2. fol. 774. poſt Indices, Divum Nicolaum Archiepiſcopum facit Civitatis Myrorum.

Idem adſerunt Tillemontius, & Bailletus a Falconio relati pag. 61. & ſeqq. ſi ergo iſtorum judicium tanti ponderis eſt, ut adhuc apud ipſum pro innumeris valeant, eorum ſententiam propugnare ſatagemus.

Nedum autem laudati Cl. viri, eruditique Critici Myrenſem Archiepiſcopum Divum Ni-

co-

Digitized by Google

colaum fuiſſe tradunt, verum etiam ad hanc uſque diem nullus auctor eſt, qui contrarium ſenſerit. Legat precor Amicus Lector Clariſſimos, doctiſſimoſque, Baronium in notis ad Maryrolog. Romanum ſub die *6.* Decembris, Pagium in Critica Baron. ad an. 325. num. 15. Petrum Annatum in Apparatu ad Theolog. poſitiv. to. 2. lib. 5. ſect. 3. art. 2. fol. 30. Ludovicum Morerium in Dictionario univerſali verbo *Nicolaus*, alioſque. Omnes ſane de eo ut Myrenſis Eccleſiae Archiepiſcopo verba faciunt.

Iſthaec autem opinio non recentium ſolummodo Auctorum eſt, ſed etiam veterum. In quibuſdam antiquis carminibus, exſtantibus in Cod. m. 5. literis Langobardicis Monaſterii Caſaenovae, qui ad Cardinalem Barromaeum ſpectabat, ſic legitur apud eumdem Falconium pag. 130.

Plaude Myrea polis, tanto redimita decore
Praeſule ſub Magno, plaude Myrea polis.

Johannes Diaconus Neapolitanus ſeculi IX. vel X. ſcriptor cap. 7. ap. eumdem Falconium fol. 116. Myrae Metropolis Archiepiſcopum ipſum fuiſſe tradit. Uſuardus in Martyrologio habet: *VIII. Idus Decembris Natalis Beati Nicolai Epiſcopi Myrorum Lyciae*. Apud Bollandiſtas multa exemplaria habes idem adſerentia to. 7. Junii part. 2. fol. 725. poſt Judices: Rabanus in Martyrolog. to. *6.* op. fol. 200. col. 1. VIII. Idus Decembris ..... *Eodem die Natalis Nicolai Myrenſis Eccleſiae Metropolitani Epiſcopi &c.* Ado Viennenſis in Martyrolog. tom. 16.

Blib.

Bibl. PP. fol. 902. lit. H. *Sancti Nicolai Myrorum Liciae Epiſcopi*. Similia habet Romanum ſecundum quoſdam Martyrologium vetus tom. 16. Bibl. PP. fol. 821. ante finem *Nicolai Epiſcopi Myrorum Lyciae*. Hocce Martyrologium Roſueydus ibid. fol. 810. & ſeq. vetus cenſet, quod Romanae Eccleſiae fuiſſe adſerit. Contrariam ſententiam propugnat Valeſius in Differ. de Martyrol. Rom. poſt ejus adnotationes ad Euſebium; cui me ſubſcribo.. Multa Divi Nicolai Acta Graeca laudat Lambecius in Bibl. Caeſarea, quae apud Falconium indicantur fol. 108., quorum aliqua Divum Nicolaum Myrorum Antiſtitem dicunt. In quadam Divi Nicolai vita, quae exſtat in Bibliotheca Vaticana, etiam Myrenſium fuiſſe Archiepiſcopum legitur cap. 14. & 15. ap. eumdem Cl. Falconium fol. 94. qui in initio haec habet fol. 86. *Ex quinque antiquis MSS. Codicibus membranaceis Vaticanae Bibliothecae, num.* 555. 793. 802. 812. 814. *Ac tribus bombycinis ejuſdem loci num.* 800. 813. 1190. *cum quibus confertur eadem narratio, quae habetur edita apud Menologium Graecum, die 6. Decembris, poſt S. Nicolai Menaeum Authore Simeone Logotheta, dicto Metaphraſte, qui initio decimi ſeculi, poſt Leonem VI. Aug. ſub quo, & deinceps ſub Conſtantino illius filio Imperatore, floruit. Vita S. Patris noſtri Nicolai Epiſcopi Myrorum Lyciae*. In alio Membranaceo Codice Vaticano num. 824. pag. 151. ſic legitur apud eumdem Cl. Falconium pag. 39. *Ex membranaceo*

C *Codi-*

Digitized by Google

168

Codice Vaticano num. 824. *pag.* 151. *ſcripto undecimo forſan ſeculo .... Vita res geſtae, & peculiaris Sancti P. noſtri Nicolai Myrorum Lyciae Archiepiſcopi miraculorum narratio a S. Methodio Conſtantinopolitano Patriarcha, nono ſeculo concinnata*. Numeris ſive capitibus 14. 15. 16. & 17. narratur Divi Nicolai electio ad Myrenſem Cathedram.

Poſt adlata teſtimonia aliud adcipe, Amice Lector, Theodori nempe Myrenſis Archiepiſcopi in ſecunda Nicaena Synodo an. 787. celebrata, ubi legitur Divum Nicolaum Myrenſem Antiſtitem fuiſſe. Nos non latet etiam verſionem ei dediſſe Cl. Falconium in Proleg. cap. 10. num. 2. fol. 14. col. 2. qua confecta, ait, lectorem judicem conſtituere: ſed in Generalibus Conciliis verſio iſta non legitur. Anaſtaſius Bibliothecarius, qui, Acta hujus Concilii ſequenti ſeculo e Graeco in Latinum vertit, ita loquitur apud Binium to. 5. concil. in not. 5. Conc. Nic. ſecund. fol. 627. lit. B. & ſeq. *Theodorus Sanctiſſimus Epiſcopus Myrorum dixit: Quia & ego praeoſtenſae hiſtoriae ſimilia paſſus ſum. Nam cum injuriam pateret a quibusdam principalibus manibus, dixit mihi Archidiaconus meus, vir religioſus, ac timens Deum, quia vidi Patriarcham in viſione dicentem, quia aſcendat ad nos Metropolita, & omnes res ejus diſpenſabuntur, ut expedit ei. Interrogavi ergo ego Archidiaconum dicens, Quali forma apparuit tibi Patriarcha? & reſpondit mihi: quia rubicundus facie, & ſenili coma. Ajo ergo ei: quia Patriar-*

cha

Digitized by Google

cha non eſt talis formae viſionis: ſed veſtis habet Sancti Nicolai imaginem: & bene aſſeris: Nam hujuſmodi formae eſt, quem vidiſti: At ille reſpondit mihi, qua etiam talis revera formae vidi virum, qui haec mihi locutus eſt. Ex hoc ergo cognovi, quod Sanctus Nicolaus ei apparuerit per ſimilitudinem, quae in Icona erat. Mox ergo credens verbo aſcendi ad Deo conſervandam Regiam urbem: & omnia negotia mea, quae uno pertinebant Epiſcopio, facta ſunt acta.

Hanc verſionem ſequuntur omnes, qui Generalia Concilia ediderunt, Labbeus, Coſſartius aliique, ut in eorumdem editionibus Conciliorum legitur.

Ut autem noſtra magis, magiſque obfirmetur ſententia, Codicem Vaticanum nu. 821. ex quo haec Acta, ut ſyncera, eruit Cl. Falconius, conſulamus. In eo Codice pag. 276. a tergo, apud eumdem doctiſſimum Falconium pag. 75. ſic legitur; *Ex eodem Membran. Cod. Vatic. num. DCCCXXI. pag. 276. a tergo: Encomium habitum in S. P. Nicolaum Thaumaturgum, & Archiepiſcopum, qui in Myris Lyciae fulguravit, a tribus Ducibus, qui ab eo ab acerba morte ſunt liberati. Scriptum ab Imperatore Leone VI. dicto Sapiente (Veſtigia S. Methodii preſſe ſequuto) poſt annum DCCCLXXXVI.* Ex quo *imperavit, uſque ad annum MXI.* Et num. 7. hujus Encomii fol. 80. *Beatam te quoque Myram praedico, metropolim urbem Lyciae, quae talem Paſtorem, & Praeſulem nacta es; quae talem in capite ſuſcepiſti coronam: virum nempe re-*

Digitized by Google

170

vera, etiam ſenectutis gloria venerandum. Quem illum? Nicolaum: inſignem illum in divinis oblectamentis viſibiliter expeditum; oppreſſorem celeberrimum, adjutorem Sacerdotum ſacerrimum ſimulacrum. Obſervat autem Cl. Falconius ibid. pag. 75. in notis num. 1. *Combefiſius tom. 6. Biblioth. Concionatoriae pag. 68. & Monfauconius in Bibliotheca Coisliniana, aliique hoc encomium (ex fide aliorum Manuſcriptorum) male tribuerunt S. Andreae Archiepiſcopo Cretenſi, ſeptimo ſeculo, & octavo.* Hocce Encomium ergo in eodem membranaceo Codice Vaticane exſtat num. 821. Habemus ergo Codicem iſtum Myrenſis Archiepiſcopatus Divi Nicolai ſtrenuum adſertorem.

Neque reſpondere juvat in eodem Codice & Acta genuina exſtare, & ſuppoſititia: vera eſſe, quae nuper vulgavit Cl. Falconius, caetera vero in eo contenta falſa eſſe. Nam rarum Codicem dixerimus, qui aurum, & lutum continet? Quid autem dicet, reſpondebitque Cl. Falconius, ſi ex iiſdem Actis, quae ut ſyncera ipſe adfert, Myrenſem Archiepiſcopum Divum Nicolaum fuiſſe eruamus? Civitatis Pinarorum Nicolaum fuiſſe Epiſcopum Acta Falconiana teſtantur cap. ſive nu. 29. ut ſupra relatum eſt. Attamen haec Acta hocce initium habent in Vaticano Codice, eodem Falconio teſte in Actorum initio: legitur enim ibidem ſic; *Ex Codice Membranaceo, antiquiſſimo in 8. Bibliothecae Vaticanae num. 821. a pagina 215. Vita, & converſatio Sancti Patris noſtri Nicolai,*

qui

Digitized by Google

qui fuit Archimandrita, & Archiepiſcopus Civitatis Myrorum. Hic parumper ſiſtendum cenſeo: ac operae pretium eſſe arbitror ab eruditiſſimo Falconio inquirere, num laudatis Actis, a ſe ut ſynceris evulgatis, fides adhibenda ſit, vel deneganda. Si adhibenda, habemus ergo ex eiſdem in initio Divum Nicolaum Myrenſem Archiepiſcopum fuiſſe, quod deinde ipſamet Acta negant, dum Civitatis Pinarorum Epiſcopum faciunt: Si fides Codici eſt deneganda, tota Actorum ſeries corruit, & Acta nuper a Falconio evulgata inter ſuppoſititia ſunt amandanda. Unum ex his adſerere debebit doctiſſimus Eccleſiae Sanctae Severinae Metropolita.

CAP. V.

Acta nuper vulgata in Membranaceo Vaticano Codice num. 821. *adſervata examini ſubjiciuntur.*

ETſi adlata argumenta abunde demonſtrent haec Divi Nicolai Acta non eſſe ſuſpicienda, attamen ut eorum falſitas magis, magiſque oſtendatur, eadem maturius penetrari debere operae pretium eſſe ducimus. Titulum Actorum ponderavimus: *Vita, & Converſatio Sancti Patris noſtri Nicolai, qui fuit Archimandrita, & Archiepiſcopus Civitatis Myrorum*. Si ergo fuit *Civitatis Myrorum Archiepiſcopus*, quare cap. ſive num. 29. eum *Civitatis Pinarorum*

172

rum Pontificem dicunt ; In initio habetur poſt titulum ; *Benedic Domne* ; quum autem eadem verba legantur in aliis Divi Nicolai Actis in eodem Vaticano Codice , quae Cl. Falconius adfert pag. 30. & ſeqq. pag. 34. & ſeqq. quaequae ſuppoſititia , & falſa ſunt , eodem Cl. Falconio teſte pag. 30. & 38. ſuſpicio mihi oritur ab ejuſdem notae homine fuiſſe haec Acta confarcinata.

In Codice Vaticano in primo Actorum Capite quaedam ſunt , quae ipſius fidem labefactant . Hujus autem rei ipſummet Cl. Falconium teſtem habemus ſic in adnotationibus adſerentem . *Hoc fuit raſum , ſed e veſtigiis ego novi ... Super ſequentia verba , uſque ad .... interlinealiter , charactere munitiori , & prorſus diverſo , ſcriptum legitur* , quarta , & ſexta feria lac non bibit ; quod ei in moribus factum eſt . *Poſt haec eodem diverſo & munitiori charactere , interlineariter pariter legitur :* Et de jejuniis quartae , & ſextae feriae . In eodem cap. ſic legitur ; *Ac dum delineatio ejus fieret , placuit Dominatori omnium , in agro ubi glorioſa Sancta Sion deſignabatur , puerum naſci elegantem , & Deo venuſtum , ex genere praedicti viri Nicolai ; ex parte quidem Epiphanio , Matre vero Nonna . Qui natum videntes puerum , valde gratum Deo , & venuſtum , impoſuerunt ei nomen Nicolai .* Quo anno , quo die natus fuerint , & de his ſimilibus tacet Auctor : & revera hoc eſt perpendendum , tum quia Auctor ex Cl. Falconii ſententia frater ejus fuit , eique natu major , ut

ut Acta teſtantur cap. 19. ac cum eodem ſemper vixit; cum etiam quia dum de ejus morte verba facit, menſis, diei, feriae, Indictionis, annorum Juſtiniani Imperatoris, ac Patriarchae Conſtantinopolitani mentionem facit. In 2. cap. ſic legitur; *Accerſituſque praedictus Sanctiſſimus Archiepiſcopus Nicolaus, indulſit, ut in illo loco oratorium conſecraretur, eoque nomine inſigniretur, quo vellet Sanctiſſimus Archimandrita Nicolaus*: Sequentia verba crucem figunt; *& profectus ad locum ipſum; aedificium nomine Sanctae & glorioſae Sion appellavit; conſecravitque a concharum laetiſſima terra incipiens; ſicuti in Geneſi Spiritus Sanctus dicit: In principio creavit Deus Coelum, & Terra; ſimiliter poſt Coelum fundamenta terrae libravit. Sit igitur etiam in fundatione glorioſae, & Sanctae Sion, Sanctus Spiritus indicavit*. Quid *a concharum laetiſſima terra*, ac ſequentia verba ſignificent, ac quomodo verba Geneſeos applicentur, intelligi nequit. Sed ad majora falſitatis indicia tranſeamus.

Capite, ſive numero 4. Nicolaum peccatorem dicit: En Actorum verba; *Erat enim quidam ſervus Dei nomine Sabbatius in Acaliſſo, & huic primo loci hujus oſtenſum eſt. Dicebat enim omnibus hominibus, quae in loco ipſo ſibi apparuerant, priuſquam Nicolaus peccator naſceretur, & credidit ei nemo, ipſe vero dicebat illis: Quoniam video, veluti ardentem lychnum, ac aedificium unico conſtans lapide, & ut ſol lucens erat omnis mons*. Quomodo Artemas frater ejus, qui

174

ſemper Nicolaum *Sanctiſſimum* adpellat, ejuſque Acta deſcribit, in hocce capite eum Peccatorem fuiſſe tradit? Cap. ſive num. 14. ipſemet Nicolaus ſe peccatorem nominat; *Tunc Servus Dei Nicolaus dicit his, qui ei occurrerant. Ego fratres homo peccator ſum*. Sed in adlato cap. 4. a Scriptore *Peccator* adpellatur.

Cap. 19. Perſonatus Artemas iſtorum Actorum Auctor, ſe bonum; & ſervum Dei adpellat dicens; *Et bonum, & ſervum Dei Artemam aſperavit*. Et tamen hunc Cl. Falconius tamquam ſui accuſatorem commendat dicens in Proleg. cap. 3. nu. 8. fol. 3. col. 2. *Is ergo Actorum, quae eruderavimus, fuit Author: non quod ipſe ſuum praefixerit nomen operi. Tantae namque fuit humilitatis, ut ſuum nomen non prodiderit, ubi gloria; diſerte vero aperuerit (ut Mattheus, ut Paulus, ut Ephrem Syrus, ut Auguſtinus) ubi ejus zelum retuderat Sanctus Pater. Juſtus, prior & accuſator ſui, inquit Salomon in Parabolis. Quo nomine Matthaeus, valde a B. Hieronymo commendatur; Quod Matthaeum ſe dixerit, & non Levi; quo nomine eum caeteri Evangeliſtae, ob verecundiam Publicani, appellaverunt. Ex multis attamen locis textus, Artemam aperte quiſpiam Authorem operis deprehenderit: praeſertim hac noſtra face; quam ejus praeferimus lectioni. Artemae, ut fratris Nicolai, prima mentio cap. 17. 19. 20. 21. 24. 31.*

In 19. Actorum capite ſic lego: *Poſtquam autem Servus Dei Nicolaus complecit orationem, Daemon eſt inflammatus, & e coquina clamans, & blaſ-*

Digitized by Google

& blaſphemans exivit, dicens: Vae mihi a Nicolao, quoniam perſequitur me ubique, & non ſinit me ex operibus meis aliquod operari. Ego enim putabam quoniam ſuper fratrem ejus, locum habere poteram: & ubique ridiculus factus ſum. Servus autem Dei, a Diabolo his auditis, objurgavit eum, & diſparuit ab illa hora.

Daemonem tunc inflammatum rident omnes, qui ut Critici, ut Eruditi, ut Theologi audiunt; dicunt enim Acta; *Poſtquam autem Servus Dei Nicolaus complevit orationem, Daemon eſt inflammatus.*

Cap. 21. ſic legitur; *& appropinquavi ad Angelum, ut viderem arma: & video; ſcilicet tres falces, quinque cubitorum latitudinem, & quindecim longitudinem habentes, & contrectavi tres falcos, & dico meo fratri: veni frater, benedictiones ei dabimus? & murmuravit. Et dicit ei Servus Dei. Vere non vis, ut demus ei tres benedictiones? Etiam duas columbas accipiat, & ſuum ita iter arripiat. Et tunc Angelus, ut generoſus miles aſſurgit, aſcenditque in equum ſuum, & abiit. Ego vero tremens factus ſum, & prae timore obdormivi.* Duo in his diſplicent Eruditis. Illud *murmuravit*, de quo ſit intelligendum, ambiguum eſt. Tres erant; Angelus, Artemas, & Nicolaus. Angelum, vel Nicolaum murmuraſſe ſomnium eſt, idque riſu excipiendum; ſi de Artema Actorum Scriptore intelligamus, & *murmuravi* legendum eſt; Ait enim; *Et dicit mihi; quare tres benedictiones ei dabimus? Et murmuravit.* Aliud quod videtur ridu-

Digitized by Google

riduculum hoc eſt; *Terrifica*, *&* *horribilis* erat viſio, ut ex eodem capite, & antecedenti liquet. Artemas autem quum plura horrenda, & terribilia vidiſſet, audiſſetque, prae timore obdormivit: *Ego vero tremens factus ſum*, *& prae timore obdormivi*. Si autem haec verba de Nicolao, alioque intelligenda ſunt, ubique ambages, difficultateſque. Horrendae viſiones, locutioneſque, ſupplicia quae minantur terrorem, tremoremque, ut communiter fieri adſolet; immittunt, ac timor, & tremor quietem ſomnumque parturire rariſſimum quidem eſt. Danielis cap. 2. ſic legitur: *In anno ſecundo Regni Nabuchodonoſor, vidit Nabuchodonoſor ſomnium, & conterritus eſt ſpiritus ejus & ſomnium ejus ſugit ab eo*. Mitto tam in hoc capite, quam in 19. antecedenti, adeo confuſa eſſe omnia, locutiones, narrationeſque, ut vel de Artema loquantur Acta, vel de Divo Nicolao intelligenda ſint verba, non ſemel dubium eſt. Haec capita 19. 21. legat, cordatus Lector, & judicet.

In Actorum cap. 22. plura profecto ſunt animadvertenda. In initio Archangelus Michael ipſi adparuiſſe narratur: En Actorum verba. *Et poſt dies ſeptem, revertitur Angelus Dei, & Servo Dei Nicolao, in figura militis apparet; & dicit ei: Poſtquem tibi Dominus Deus largitus eſt, noſſe per revelationem opera Dei; veni, & tibi viſiones Angelorum revelabo. Et dixit ei: Tu vero quis es? Et dicit ei. Ego ſum Michael Archangelus, qui miniſtro tibi quotidie; & mihi praecepit Dominus Deus, ut tibi, quae*

in

Digitized by Google

in univerſum mundum futura ſunt, *revelarem*. Archangelum Michaëlem Divo Nicolao quotidie miniſtraſſe res eſt nova, quae ex ſola iſtorum Actorum çoenoſa narratione non eſt eruenda, ſi rectam Theologiam ſequamur. Perpende inſuper ultima verba, Michaëlem nempe Archangelum ei revelaturum, *quae in univerſum mundum futura ſunt*; Sequentia verba incredibilia ſunt profecto, *Mihi autem perſuadeo, quoniam ipſe tu credis Deo*: Nicolaum alloquitur Michaël Archangelus. Oportebat ne, ut ſibi perſuaderet Archangelus Michaël Divum Nicolaum Deo credere? Si ei quotidie miniſtrabat, ut ex Actis ſupra dictum eſt? Si vera ſunt, quae cap. 1. enarrantur in Actis: *quippe qui, cum naſceretur ad duas ferme horas, poſitus in pelvi, virtute Dei rectus ſtetit. Qua de re, ejus territi genitores gloriam dederunt Deo, profectique ad monaſterium Acaliſſorum, ad Sanctum hominem Nicolaum, patruum pueri, ei, quae in partu illius evenerant dixerunt; quomodo ſcilicet rectus ſtetit in pelvi. Quibus ille precatus dixit: Gloria tibi Deus, quoniam natus eſt nobis homo, ſervus tuus. Hic enim Dei voluntate natus eſt, qui glorificabit Deum in loco iſto: quod eis ne ulli dicerent, interdixit*. Haec noverat Michaël Archangelus, qui ei quotidie miniſtrabat. De eo adhuc puero ſic lego cap. 5. *Et dicit mihi Angelus ductor meus: Eſt puer hic nomine Nicolaus, filius Epiphanii, matris vero Nonnae, qui habitabit in iſto loco, & glorificabit patrem noſtrum qui in Coelis eſt: ex utero namque matris, electus*

a Deo

Digitized by Google

a Deo eſt. Et inviſibilis mihi Angelus factus eſt. Haec dicebat Servus Dei Nicolaus Archimandrita monaſterii Sancti Johannis in Acaliſſo, prophetans de his, quae futura erant de Sancto puero: & facta eſt ei requies in Acaliſſo in Eccleſia Sancti Johannis. Haec erant ne Archangelo Michaëli ignota? Noverat & optime haec omnia: noverat in Monaſterio educatum, ac in eo Abbatem factum, ſive Archimandritam: multa ab eo patrata miracula noverat abſque dubitatione ulla. Quomodo ergo iſta cum adlatis verbis coherent, ab Archangelo Michaële, qui ei quotidie miniſtrabat, prolatis; *Mihi autem perſuadeo quoniam ipſe ne credis Deo?* Oportebat enim ut ſibi perſuaderet Archangelus, tantum Virum Deo credere, ac crediddiſſe? Haec omnia clariſſime evincunt, Acta haec a quodam Nugivendo, Fabulatoreque fuiſſe conſarcinata: proindeque nulla profecto ſide digna eſſe. Sed hoc etiam ex infra dicendis ſatius adparebit.

C A P. VI.

Quaedam alia in hiſce Actis nuper vulgatis ponderantur.

TAm multa ſunt in hiſce Actis, quae ea ſuppoſitionis ſalſitatiſque arguunt, ut in pluribus Capitibus ea examini ſubjicere neceſſe ſit. Cap. 23. iſta narrantur; *In Myris autem Metropoli, egreſſa eſt fama; ac dicebant: quoniam Abbas Sanctae Sion non ſinit quemquam in Urbem*

Digitized by Google

bem deſcendere agricolarum. Ut haec autem audivit Sanctiſſimus Archiepiſcopus tunc Philippus; Praeſidi Provinciae, & Primoribus ea ſignificavit; quoniam Servus Dei Nicolaus iſta fecit. Irati itaque illi, duos clericos in Monaſterium Sanctae Sion miſerunt ad Servum Dei Nicolaum, eis praecipientes, ut cum feſtinatione vinctum ad ſe adducerent Servum Dei. Miniſtri autem Archiepiſcopi, advenientes in Monaſterium, dicunt Servo Dei: Calumniae quidem magnae ſtructae ſunt adverſus Angelum tuum coram te apud Archiepiſcopum, Praeſidemque, a civitate; & nos miſerunt, ut te vinctum in urbem afferremus. Omittimus in hocce Capite atque ſequentibus enarrare, Divum Nicolaum *butulas Domino pluribus in locis obtuliſſe* non autem legi, num vere captus fuerit; vel Praeſes, Primoreſque ſuam mutaverint ſententiam. Quinimmo quum retuliſſent Acta, circumjacentes Sanctas Eccleſias Divum Nicolaum viſitaſſe, ſtatim biennium praetereuntes; ſubdunt cap. 24. *Poſt annos vero duos pervaſit Servum Dei Nicolaum Spiritus Sanctus, ut in adjacentes deſcenderet oratorias ſanctas domos.* Siſte, heic Lector, & adlata capitis 23. verba perpende. Primo obſerva, Philippum Myrorum Archiepiſcopum audiſſe, Divum Nicolaum Monaſterii Abbatem nullum agricolarum velle, ut in urbem deſcenderet, idque Praeſidi, Primoribuſq. Provinciae ſignificaſſe; quaſi non Archiepiſcopus Divi Nicolai tempore, Abbatis fuiſſet Judex, ſed Praeſes, Primoreſque ejus cenſores fuerint. Qui tamen Archiepiſcopus Abba-

180

batem Praeſidi Provinciae, ac Primoribus Urbis accuſans, *Sanctiſſimus* adpellatur. Ut haec audivit, ſic praefato Actorum cap. 23., *Sanctiſſimus Archiepiſcopus tunc Philippus, Praeſidi Provinciae, & Primoribus ea ſignificavit: quoniam Servus Dei Nicolaus iſta fecit*. Secundo ponderanda ſunt, ſequentia verba; *Irati itaque illi*, Praeſes nempe, Primoreſque Civitatis, *duos Clericos in Monaſterium Sanctae Sion miſerunt ad Servum Dei Nicolaum, eis praecipientes ut cum feſtinatione vinctum ad ſe adducerent Servum Dei. Miniſtri autem Archiepiſcopi, advenientes in Monaſterium dicunt Servo Dei: Calumniae quidem magnae ſtructae ſunt, adverſus Angelum tuum coram te, apud Archiepiſcopum, Praeſidemque, a civitate, & nos miſerunt ut te vinctum in urbem aſferremus. Et ait Servus Dei: Novi, & habeo perſuaſum, quoniam homini haec omnia diabolus ſuggeſſit; ſed credo Deo quoniam a nobis viliſſimis calcabitur. Notum itaque in Traglaſſeorum oppido factum eſt, quoniam Dei ſervus in Urbe calumniis eſt impeditus: & quoniam quidam urbis Clerici, ab Archiepiſcopo Philippo, & a Praeſide aſcenderunt, ut a monaſterio abducerent eum vinctum. Omnes ſunt igitur congregati; Servo Dei Nicolao dicentes: Ne tibi ſolus deſcendere videatur, quoniam in te magna ira fervet in Civitate*. Praeſes Provinciae, Primoreſque Civitatis duos Clericos jubent, ut Lictoris officium peragentes, vinctum Venerabilem Abbatem in Civitatem ducant, & in Clericos Lictoris officium peragens, & in Divum Nicolai Monaſterii Sanctae

Sion

Digitized by Google

Sion Abbatem , dominium exercere poterant Provinciae Praeſes , Primoreſque Civitatis Myrorum ? Tertio obſerva , duos Clericos a Praeſide , Primoribuſque miſſos , ut cum feſtinatione Divum Nicolaum vinctum adducerent , miniſtros Archiepiſcopi adpellare , *Irati itaque illi* , Praeſes ſcilicet , Primoreſque urbis Myrorum, *duos clericos in Monaſterium Sanctae Sion miſerunt, ad Servum Dei Nicolaum , eis praecipientes , ut cum feſtinatione vinctum ad ſe adducerent Servum Dei . Miniſtri autem Archiepiſcopi advenientes in Monaſterium dicunt Servo Dei .*

Riſum ſtomacumque certe adlata verba movent ; *Miniſtri autem Archiepiſcopi , advenientes in Monaſterium dicunt Servo Dei . Calumniae quidem magnae ſtructae ſunt , adverſus angelum tuum coram te apud Archiepiſcopum , Praeſidemque , a civitate & nos miſerunt ut te vinctum in urbem afferremus .* Illa verba *Adverſus angelum tuum coram te* , cui ſunt applicanda ? Num Angelo tutelari Divi Nicolai , contra quem calumnia ſtructae erant ? Quis non ridebit iſta legens? Certe Divo Nicolao nequeunt applicari , quae ſic Acta loquantur ; *Dicunt Servo Dei , calumniae quidem magnae ſtructae ſunt , adverſus angelum tuum coram te , apud Archiepiſcopum , Praeſidemque , a civitate .*

CAP.

Digitized by Google

182

CAP. VII.

Alia argumenta adferuntur, quae Acta iſthaec ſuppoſititia, ac falſa eſſe demonſtrant.

ADeo Actorum Divi Nicolai ſcriptor jejunus eſt in geſtis ejus ad Epiſcopatum adſumti deſcribendis, ut ipſemet Falconius pedem figat, & ſummopere admiretur. Acta audiamus cap. 29. *Poſt tres autem menſes, Philippus Sanctiſſimus Myrorum Archiepiſcopus ei ſignificavit, ut deſcenderet in Metropolim. Erat autem dies ſabbati; & ſequenti Sancta Dominica, Sanctiſſimus Archiepiſcopus ipſi aperuit, de eo Epiſcopo ordinando. Ergo in introitu ad Synaxim, in Sancta Catholica, & Apoſtolica Dei Eccleſia Sanctae Irenis, ei ſchema tradidit Sacerdotii, eumque renunciavit civitatis Epiſcopum Pinarorum, atque in praedictam civitatem eum miſit. Tunc autem omnes mirati ſunt de his, quae circa Sanctum virum Nicolaum facta ſunt; & quomodo eum Deus glorificavit. Poſt autem veluti annos tres, ex quo ipſe eſt inthronizatus.* Deinde quid egerit tacet omnino. Refert autem Templum tantummodo in Dei, ac B. M. V. honorem conſtruxiſſe, aridum, lunaticamque ſanaſſe, quatuor liberaſſe a Demone oppreſſos, cuidam ſterili maſculinam prolem prophetaſſe, ac precibus obtinuiſſe, & cum quibuſdam in Civitate Myrae, celebrata Synodo, feliciter in Domino obiiſſe. En ma

gna

gna Divi Nicolai geſta in Pontificatu ! Credibile eſt Artemam Divi Nicolai fratrem vitam ejus ſcripſiſſe ; virtutum autem heroicarum, ac omnium geſtorum ejus in Pontificatu narrationem omiſiſſe ? Quinimmo quid primo Epiſcopatus triennio egerit, ſilet omnino, atque ab ejus electione ad aliqua enarranda praecipitanter excurrens tres primos annos omnino praeteriit. Cap. 29. *Eumque renunciavit Civitatis Epiſcopum Pinarorum ; atque in praedictam Civitatem eum miſit . Tunc autem omnes mirati ſunt de his , & quae circa ſanctum virum Nicolaum facta ſunt , & quomodo eum Deus glorificavit . Poſt autem veluti annos tres ex quo ipſe eſt inthronizatus .*

Tria reſpondet Cl. Falconius, qui hanc robuſtam praevidit objectionem, ut ab ea ſe expediret : & ſi fateatur ſinceritate ſumma tantum ei ſilentium diſplicuiſſe in Proleg. c. 3. nu. 4. 5. fol. 3. cap. 7. nu. 1. fol. 7. & nu. 7. 8. ſol. 8. 9. Primo ait , Artemam Actorum Divi Nicolai ſcriptorem, narrationis virtutum ejus fuiſſe oblitum . Lector autem prudens , cordatusque judicet , num Auctor Synchronus dum alicujus eximii viri Geſta ſuſcipit enarranda , virtutum ejus obliviſci poterit . Hinc Cl. Viri reſponſionem referre , ac rejicere idem profecto erit. Cap. 5. in Proleg. nu. 2. fol. 6. col. 1. *Non datur autem triumphus ſine victoria , nec victoria ſine pugna , nec pugna aliqua ſine pugna, in victoria eſt Triumphus ; & ex menſura & merito hoſtis, qui victus eſt . Sanctorum*

184

ergo merita, ad menſuram tantum, & ex oppoſito devicti hoſtis; vitij ſcilicet, mundi, & carnis, ponderantur; & ſine iis non dantur in Coelo Sancti. In Nicolao devictos hoſtes neſcimus (niſi pro iis Daemonas ſupponamus) quid eos ipſi Artemae placuit oblivi ſci.

Quia autem doctiſſimus Auctor ſumma eruditione perornatus datam reſponſionem ſatisfacere haud poſſe cognoverat, aliam adſert cap. 7. quae certe ex ſe ipſa corruit, evaneſcit, & in fumum abit: ait enim, Artemam oblivionis, ac reticentiae non eſſe accuſandum, inſimulandum vero Amanuenſem, quia taedio prolixitate affectus ea praetermiſit. En ejuſdem Cl. Falconii verba in Proleg. c. 7. num. 7. & ſeq. fol. 9. col. 1. *Interim nemo ſcribitur, e ſua Pinarorum Eccleſia veniſſe, ac interfuiſſe funeri ſui Epiſcopi: quod mirandiſſimum eſt ſilentium: par certe (& echus veluti) primo illi, de nullo acceſſu, capta poſſeſſione, reſidentia ac regimine ſuae Eccleſiae. In his tanta accuſanda incuria, & caſtiganda; cum in depoſitione ejus, eſt ſumma cura. Depoſitum (inquiente Artema) ejus corpus, & ejus Eccleſia Sanctae Sion, ubi reliquiae Sancti Johannis Baptiſtae aſſervantur, & S. Stephani protomartyris, & S. Theodori (illius dicti ſantificati, diſcipuli S. Pachomii) & Sanctorum Martyrum quadraginta Sebaſtenorum; in cubiculo dextero faeminarum, ad hujus dexteram collocatum. Sane ad hoc ſilentium, non habeo quid reponam: Artemam reticentiae incredibilis non occulto: amanuenſem utrobique inſimu-*

Digitized by Google

185

mulo: qui pertaeſus prolixitatis, pretermiſerit, quae, praeter miracula, neceſſaria non credebat. Accuſatio excuſatoria, non in Verrem, ſed pro Rabirio, & pro Muraena. Et poſt pauca; *ex magno ſilentio, tantae ſuſpiciones mihi, quae forſitan aliis erunt plures*. Hocce Scriptoris ſilentium, ut dictum eſt etiam doctiſſimum Falconium offendit, ut cap. 7. adſerit, cujus verba referemus infra; & cap. 13. in Proleg. ubi haec habet num. 4. & 5. *optandum praeterea erat, ut quomodocumque, deſcripſiſſet, quibus virtutum gradibus, ſuam Climacem; quo ſudore, & quibus praeliis, ſui, & ſuorum hoſtium victor Nicolaus; tantam perfectionem, & ſanctitatem ſit aſſecutus; Interiorem nempe hominem, nec ei de exteriori tantum homine eſſet cura. Aſt viri Dei, qui Spiritu Dei aguntur: ex exterioribus hiſce interiorem hominem, facile & certo arguunt. Celant ſummo ſtudio Sanctiores occulta ſua; nec aliter Nicolaus, ſe geſſiſſe credendus eſt, ac prefati Sancti, de quibus fideliſſimi illi Authores narrarunt geſta. His autem exemplis, & monumentis, maxime proficiunt Chriſtiani; poſt eos Duces in brevi, vel longo itinere hujus vitae. Ut fortiter nempe, patienter, ac longanimiter reſiſtant diabolo, & pompis ejus: & ut aſſequantur ſimiliter ſanctitatem. Haec planum, ſuave, & non longum iter docent vocatos, & electos in via Domini; & ut facilius in ſe erigant Templum Dei: incedentes, non per latam viam, ſed per anguſtum, & durum callem. At noſter Author, ab initio ad finem uſque, totus eſt in colligendo prodigia & miracu-*

Digitized by Google

186

la : iiſque corollam magnam indeſinenter intexit. In quo tres alios ſequitur Sanctos Evangeliſtas. Hic etiam obſerva, amice Lector, num Artemas, qui Geſta Divi Nicolai ſuſcipit enarranda, virtutumque ejus obliviſcitur, Evangeliſtas ſequatur: Audi interim Cl. Falconium; in Proleg. cap. 3. num. 1. *Simpliciſſima eſt dictio noſtri Authoris : nec ipſe de elocutionis vernantia curat quidquam : cui oppido ſatis eſt, ut cum lectoribus, quomodolibet communicet ſua ſenſa. Non ſumma ergo ei, nec media dictionis eſt elegantia, aut ſermonis ubertas, aut orationis aliqua eſt ſuavitas. Impolitus eſt : huicque totus incumbit, imitatus, ſecutus Dominum in Parabolis, Evangeliſtas, ac Apoſtolos in rerum, & miraculorum narratione.* Et num. 6. *Author autem hic noſter (quod vere diſplicet, & fatemur) Sanctitatem ſupponit Nicolai ; & raro, & obiter, ſanctificationis, & viae illius verba facit, nec in ejus rebus, parcior eſt, quam, ut dixi, fuerunt Evangeliſtae.*

Revera autem incredibile eſt Amanuenſem virtutes reſecaſſe, miracula autem ſuſcepiſſe exſcribenda. Si autem Amanuenſis eſt inſimulandus, Acta integra corruent. Potuit enim Amanuenſis Acta corrumpere, & vitiare: neque fides amanuenſis illi erit adhibenda, qui pro ſuo arbitrio virtutes reſecat. His adde quo argumento Amanuenſem probat Cl. Falconius *prolixitatis pertaeſum praetermiſiſſe quae praeter miracula neceſſaria non credebat ?* Numne virtutes in Divorum Actis non ſunt neceſſariae ? Sed

pro-

Digitized by Google

prolixitatem offendiſſe Amanuenſem, ejus affectum toedio multa praetermiſiſſe, qua ratione dicemus, niſi ex conjectura ad arbitrium ficta? Num ne etiam reum dixerimus Amanuenſem abſque probatione ulla? *Sed nemo praeſumitur malus, niſi probetur*, humanae Leges adſerunt.

Quum adlatas reſponſiones ipſemet Cl. Falconius cognoviſſet vim argumenti non labefactare, neque ullo modo infringere, cap. 8. aliorſum objectionis robur ſatagit enervare. Haec ſequenti capite examini ſubjiciemus.

C A P. VIII.

Num quae adſerit Cl. Falconius in Prolegom. cap. 8. vim habeant, expenditur.

IN Prolegomenis cap. 8. cui titulus, *Actorum noſtrorum Illuſtratio, & Comprobatio* a num. 8. ad 12. totus eſt Cl. S. Severinae Metropolita in Artema defendendo, quem Divi Nicolai fratrem fuiſſe a ſe nuper vulgata Acta teſtantur cap. 17. 19. 20. 21. 24. & 32. & horum Actorum ſcriptorem fuiſſe tradit cap. 3. in Proleg. fol. 3.; quique virtutum ejus narrationem omiſit, ac ex Actis miracula tantum enarrat. Plures adſerit Auctore Synchronos Divorum geſta ſcripſiſſe, totoſque eſſe in miraculis deſcribendis: & tamen ipſorum Hiſtorias a Clariſſimis Criticis, praecipue a Tillemontio, & Bailletio recipi, non reprobari.

D 3 Mul-

Digitized by Google

188

Multa exempla profert : quorum aliqua heic adferemus ; omiſſis aliis , quum eadem in omnibus occurrat ratio.

Capite igitur octavo num. 8. & ſeqq. fol. 11. & ſeq. haec habet : *Hinc , ne per ſingula noſtrorum Actorum capita procedamus , quae poſſint imperitum Criticum remorari ; incipiamus a beato Gregorio Magno , qui Benedicti Sancti deſcribens vitam , in Dialogorum 2. , de more ſeculi quinti & ſexti (ita etiam noſter Artemas) pauca refert ejuſdem Acta ; & totus eſt in miraculis . Sancti Theodori hiſtoria Siceotae Epiſcopi Anaſtaſiopoleos in Galatia ; ab Eleuſio (dicto Georgio) ſcripta eſt . Hic familiaris , & ſuperſtes Sancto , diſplicet quidem Tillemontio , & Bailletio ob miracula ; qui ipſum tamen habent ſinceriſſimum , & magni pretii ejus vitam . Natus ille eſt ſub Juſtiniano , factus Epiſcopus anno* 582. , *mortuus an.* 613. *vigeſima ſecunda die Aprilis . S. Abbas in Bithynia Nicetas , natus eſt in Caeſarea Bithyniae ; in eadem Provincia fuit Abbas Monaſterii medicaei ſub monte olympo : S. Taraſius CP. Patriarcha , eum presbyterum ordinavit . Ejus vitam mortui an.*824. *paulo poſt ſcripſit ejus diſcipulus Theoſterictus , qui miracula ejus affert : & Bailletius , qui ut ſincerum laudat Authorem ; tertia die Aprilis , nil ejus opponit narrationibus .* Num. 9. *Sanctus Pachomius, Fundator vitae Coenobiticae in Thebaide ; anno circiter* 279. *natus , defunctus eſt anno* 349. *Vitam ejus ſcripſit monachus Anonymus , ejuſdem Monaſterii Tabennarum , tempore ejus diſcipulorum (ſcilicet circa finem illius ſeculi) tanta cura , diligen-*

tia

Digitized by Google

189

tia judicio, & veritate; ut quamquam in ea legantur frequentiſſimae viſiones, miracula, prophetiae &c. Tillemontius tamen, Bailletius, eruditique omnes nil in ea carpant: quin habeant rem authenticam, & oppido pretioſam; maii die decimaquarta. Poſt pauca; *S. Hilarion Abbas, Patriarcha Caenobitarum in Palaeſtina; natus eſt anno circiter* 291.*, denatus anno* 371. *S. Hieronymus quadraginta circiter & novem annos ab ejus obitu, vitam hanc exaravit; onuſtam miraculis, prodigijs, prophetijs. Eum tamen, ne unus quidem inſimulat mendacij, aut falſitatis. Lege ipſam, vel in ejus operibus, vel die* 21. *Octobris, apud Tillemontium, Bailletium &c. num.* 11. *Neocaeſareae in Ponto Epiſcopus S. Gregorius, dictus ob miracula Thaumaturgus (ut ex eadem cauſa, Nicolaus) natus circa annum* 210. *a S. Phaedimo Epiſcopo Amaſeno, qui habebat Spiritum prophetiae; Neocaeſareae Epiſcopus, ob eminentes virtutes, & ſanctitatem, anno circiter* 245. *ordinatur. Ipſemet in Panegyri quadam, dicta magiſtro ſuo, ſuae juventutis, ſtudiorum rationes, & converſionis ad Chriſti fidem, hiſtoriam ſcribit. Reliqua contexuit, item in Panegyri ejus, Nyſſenus S. Gregorius centum viginti circiter annos, poſt ejus obitum, qui accidit die* 17. *Novembris anno* 269. *Poſt converſionem (ipſe narrat Neocaeſarienſis) in viſione quadam, apparet ei Virgo Maria; quae Sancto Evangeliſtae Johanni praeſenti imponit, ut ei veram exponat religionem Evigilans illico e lecto ſurgit, Johannem videt, & ab eo clariſſime audit omnia, & edocetur. Rem ille in Panegyri*

Digitized by Google

1190

ipſe teſtatus eſt . Miracula , prodigia , montis particula retrocesſa , palus miraculo exſiccata , lycus omnis coercitus , baculus ſiccus , viridis redditus , daemones e ſimulacris , & ex hominibus ciecti , prophetico ſpiritu praedicta , & verificata : haec & alia , Magnum Baſilium impulerunt , ut Gregorium cum Moyſe , Prophetis , & Apoſtolis compararet . Alia non addo . Celebre eſt ejus encomium Tillemontii , & Bailletii , qui verbotenus hunc exſcribit . Tandem num. 12. ſic ait S. Severini Abbatis , & Apoſtoli Norici ſcripſit vitam , Neapolitanus Eugipius , Secundus Abbas noſtri Monaſterii Luculluni , anno 490. aequalis Sancto , inſtructiſſimus ejus vitae ; ita eam ſcripſit , ut cenſor nullum eam quiverit arrodere , ob miracula , & prophetias , omnes ipſo vivente verificatas : Januarii die 8. anni 481. obiit Severinus Anno 494. ad Caſtrum Lucullanum ; tum anno 920. Neapolim ejus corpus translatum fuit , ubi hactenus colitur , & ſervatur .

Haec , aliaque Cl. Falconius adfert , ut ſuum (perſonatum ne dicam , aut ſomniantem ?) Artemam defendat . Sed revera qui Acta divi Nicolai conſarcinavit , defendi nequit : Aliud enim eſt in adlatis divorum Geſtis virtutes referri , ac miracula , prophetiaſque narrari , quae omnia a criticis ſuſcipiuntur ; aliud eſt in hiſce Divi Nicolai Actis tantummodo miracula enarrari , virtutibus omiſſis , quae ipſum vere pium , Deoque gratum reddebant . Miracula Divi Nicolai narrat ideatus Artemas , virtutes vero nequaquam .

eam

Digitized by Google

eum facit Pinarorum Epiſcopum; ſed quo zelo ſuam rexerit Eccleſiam, ſilet omnino: Quinimmo quid primo Epiſcopatus triennio fecerit, ſilentio praetergreditur: en ejus verba cap. 29. pag. 26. *Ergo in introitu ad Synaxin, in Sancta Catholica, & Apoſtolica Dei Eccleſia Sanctae Irenis, ei Schema tradidit Sacerdotii: eumque renunciavit Civitatis Epiſcopum Pinarorum; atque in praedictam Civitatem eum miſit. Tunc autem omnes mirati ſunt de his, quae circa Sanctum virum Nicolaum facta ſunt; & quomodo eum Deus glorificavit. Poſt autem veluti annos tres, ex quo ipſe eſt inthronizatus*. Si templum in honorem Dei, ac Virginis Matris erectum, ſeptem Miracula excipias, ac in Myrenſi Synodo eum adſtitiſſe, nihil aliud de ejuſdem Epiſcopatu refert, & ad ejus beatum exitum referendum tranſit. Caeteri ſcriptores, qui Divorum Geſta narratione complectuntur, virtutes eorum referunt, deindeque Miracula narrant: Neque, ut de Artema loquitur Cl. Falconius, dum Geſta Divorum referunt, virtutem eorum oblviſcuntur; & revera oblitum fuiſſe Artemam ſupra diximus ex eodem Cl. Falconio.

Ut autem melius noſtra firmetur ſententia, laudatos Auctores conſulere in animo eſt: Ipſi enim, & miracula narrant, & virtutes Divorum referunt: quodque eſt magis ponderandum, in virtutibus enarrandis toti ſunt: deindeque ad miracula referenda tranſeunt. Primo loco Divum Gregorium laudat Cl. Falconius

192

nius Divi Benedicti Monachorum Occidentalium Patriarchae Geſta enarrantem. Sed ſi vitam Divi Benedicti adcipias a Divo Gregorio in ſecundo Dialogorum libro ſcriptam, eum noveris, non tantum miracula, ſed cum miraculis virtutes deſcripſiſſe. Refert enim cap. 1. tom. 2. op. col. 209. Sublaci in arctiſſimam ſpecum ſe abdidiſſe, ubi per triennium vixit, en verba; *Sed Benedictus plus appetens mala mundi perpeti, quam laudes; & plus pro Deo laboribus fatigari, quam vitae hujus favoribus extolli, nutricem ſuam occulte fugiens, deſerti loci ſeceſſum petiit, cui Sublacus vocabulum eſt, qui ab Romana Urbe quadraginta fere millibus diſtans, frigidas atque percipuas emanat aquas. Quae illic videlicet aquarum abundantia in extenſo prius lacu colligitur, ad poſtremum vero in amnem derivatur. Quo dum fugiens pergeret, monachus quidam Romanus nomine, hunc euntem reperit, quo tenderet requiſivit. Cujus cum deſiderium cognoviſſet, & ſecretum tenuit, & adjutorium impendit, eique ſanctae converſationis habitum tradidit & in quantum licuit, miniſtravit. Vir autem Dei ad eumdem locum perveniens, in arctiſſimam ſpecum ſe tradidit, & tribus annis, excepto Romano Monacho, hominibus incognitus manſit.*

Paſtores inſtruxiſſe narrat cap. eodem Gregorius col. 213. Deinde ſic refert cap. 2. col. 713. *Quadam verò. Dum ſolus eſſet, tentator adfuit. Nam nigra parvaque avis, quae vulgo merula nominatur, circa ejus faciem volitare caepit, ejuſque vultui importune inſiſtere, itaut manu capi poſ-*

Digitized by Google

poſſet, ſi hanc vir ſanctus tenere voluiſſet : ſed ſigno crucis edito receſſit avis . Tanta autem carnis tentatio, ave eadem recedente ſecuta eſt, quantam vir ſanctus numquam fuerat expertus . Quamdam namque aliquando feminam viderat, quam malignus ſpiritus ante ejus mentis oculos reduxit : tantoque igne Servi Dei animum in ſpecie illius accendit : ut ſe in ejus pectore amoris flammavix caperet, & jam etiam pene deſerere eremum, voluptate victus, deliberaret . Cum ſubito ſuperna gratia reſpectus, ad ſemetipſum reverſus eſt, atq. urticarum, & veprium juxta denſa ſuccreſcere fruteta conſpiciens, exutus indumento, nudum ſe in illis ſpinarum aculeis, & urticarum incendiis projecit : ibique diu volutatus, toto ex eis corpore vulneratus exiit, & per cutis vulnera eduxit a corpore vulnus mentis ; quia voluptatem traxit in dolorem, cumque bene paenaliter foris arderet, extinxit quod intus illicite ardebat . Vicit itaque peccatum, quia mutavit incendium, ex quo videlicet tempore, ſicut poſt diſcipulis ipſe perhibebat, ita in eo eſt tentatio voluptatis edomita ut tale aliquid in ſe minime ſentiret . Caeperunt poſtmodum multi jam mundum relinquere, atque ad ejus magiſterium feſtinare . Liber quippe a tentationis vitio, jure jam factus eſt virtutum magiſter . Unde & per Moyſen praecipitur, ut Levitae a vigintiquinque annis, & ſupra, miniſtrare debeant : Ab anno vero quinquageſimo cuſtodes vaſorum fiant.

XII. Monaſteria a Divo Benedicto extructa fuiſſe narrat cap. 3. col. 220. Gregorius: deindeque Sublaco relicto Caſinum petiiſſe. *Caſtrum namque*, ſic cap. 8. col. 229., *quod Caſſinum di-*

1194

dicitur, in excelſi montis latere ſitum eſt, qui videlicet mons diſtenſo ſinu hoc idem caſtrum recepit. Sed per tria millia in altum ſe ſubrigens, velut ad aera cacumen tendit; ubi vetuſtiſſimum fanum fuit in quo & antiquorum more gentilium a ſtulto ethnicorum populo Apollo colebatur. Circum quaque etiam in cultu demonum luci ſuccreverat, in quibus adhuc eodem tempore infidelium inſana multitudo ſacrificijs ſacrilegis inſudabat. Illuc itaque vir Dei conveniens, contrivit idolum; ſubvertit aram, ſuccendit lucos, atque in ipſo templo Apollinis, oraculum beati Martini, ubi vero ara ejuſdem Apollinis fuit, oraculum Sancti Johannis conſtruxit, & commorantem circumquaque multitudinem praedicatione continua ad fidem vocabat. Ex his aliiſque liquet Divum Gregorium praeter miracula Divi Benedicti virtutes enarraſſe. In eodem capite 8. col. 228. in fine, & ſeq. ſic lego; *mira ſunt, & multum ſtupenda, quae dicis;* (Petrus cum Divo Gregorio in Dialogo loquitur): *nam in aqua ex petra producta, Moyſen; in ferro vero, quod ex profundo aquae rediit, Eliſeum; in aquae itinere, Petrum; in corvi obedientia, Eliam; in luctu autem mortis inimici, David video. Ut perpendo, vir iſte ſpiritu juſtorum omnium plenus fuit.*

Infirmum etiam eſt ex S. Pachomii vita deſumtum argumentum. Ibidem enim non miracula tantum referuntur, ſed virtutes praecipuae: quod ex Capitulorum titulis, quos hic adferre placet, liquet aperte. Apud to. 3. Maij Bollandiani ad diem 14. fol. 295. & ſeq. *Prologus de initiis Monachatus in Aegypto cap. 1.*

Pa-

Digitized by Google

195

Pachomii adoleſcentia, & converſio. Monachatus ſub Palaemone: bujus Sanctitas, & morſ. Cap. II. *Pachomii in vivendo ſeveritas, animi demiſſio, pugna adverſus daemones, cura de diſcipulis, & Monaſteriis.* Cap. III. *Prudentia in regendo: zelus, & bonum exemplum Pachomii Monaſteria ordinantis: Theodori novitii de matre victoria.* Cap. IV. *Pachomii moderatio erga immorigeras, delinquentes, pueros, & aegros: miracula quaedam, & monita Spiritualia: Theodori profectus.* Cap. V. *alia tria monaſteria ſuſcipit Pachomius, & in iis varia ſpiritualia documenta tradit.* Cap. VI. *Pachomii, & Theodori dexteritas in curandis Fratrum tentatorum infirmitatibus. Hic aliique monaſteriis profecti a Sancto* Cap. VII. *Alia monaſteria ſuſcepta: Fratres varie inſtructi, & adjuti a Pachomio, & Theodoro.* Cap. VIII. *Varia praecepta regiminis, & Spiritus a Pachomio data: delinquentes cum magno fructu correcti.* Cap. IX. *Theodori ex nova probatione profectus. Pachomii in Synodo Latopolitana vexatio, morbus, obitus.*

Virtutes ergo narrat, & praecipue, vitae S. Pachomii Scriptor: Quas virtutes Perſonatus ac fictitius Artemas de Divo Nicolao ſcribens ſilet omnino.

Quod ad vitam Divi Hilarionis a Divo Hieronymo ſcriptam pertinet, falſum eſt *eam onuſtam eſſe miraculis prodigiis, prophetiis*, virtutibus omiſſis: quod ſi verum eſſet ad defendendum Artemam ſufficeret. En aliqua Divi Hieronimi verba to. I. op. 5. Hier. fol. *Quamquam enim Sanctus Epiphanius, Salaminae Cypri* Epi-

196

Epiſcopus, qui cum Hilarione plurimum verſatus eſt laudem ejus brevi epiſtola ſcripſerit, quae vulgo legitur: tamen aliud eſt, locis communibus laudare defunctum; aliud defuncti proprias narrare virtutes .... Audiens autem tunc celebre nomen Antonii, quod per omnes Aegypti populos ferebatur, incenſus viſendi ejus ſtudio, perrexit ad Eremum: & ſtatim ut eum vidit, mutato priſtino habitu, duobus fero menſibus juxta eum manſit, contemplans ordinem vitae ejus, magnamque gravitatem, quam creber in oratione, quam humilis in ſuſcipiendis Fratribus, ſeverus in corripiendis, alacer in exhortandis eſſet; & ut continentiam ubique ejus aſperitatem nulla unquam infirmitas frangeret. Porrò frequentiam eorum, qui ad eum ob varias paſſiones aut impetus daemonum concurrebant, ultra non ferens; nec congruum eſſe ducens, pati in eremo populos civitatum: ſicque ſibi magis incipiendum eſſe, ut caepiſſet Antonius, illum quaſi virum fortem victoriae praemia accipere, ſe vero necdum militare caepiſſe; reverſus eſt cum quibuſdam monachis, ad patriam; & parentibus jam defunctis, partem ſubſtantiæ Fratribus, partem pauperibus largitus eſt, nihil ſibi omnino reſervans, timens illud de Actibus Apoſtolorum, Ananiae, & Sapphirae vel exemplum, vel ſupplicium, maximeque Domini memor, dicentis: Qui non renunciaverit omnibus quae habet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Erat autem tunc annorum quindecim. Sic nudus, & armatus in Chriſto, ſolitudinem, quae in ſeptimo miliario a Majoma, Gazae emporio, per litus euntibus Aegyptum ad laevam flectitur, ingreſ-

ſus

Digitized by Google

197

ſus eſt; cumque eſſent cruenta latrociniis loca, & propinqui, amicique ejus imminens periculum denunciarent, contemſit mortem, ut mortem evaderet. Mirabantur omnes animum, mirabantur aetatem, niſi quod flamma quaedam pectoris, & ſcintillae fidei in oculis relucebant. Lenes erant genae, delicatum corpus, & tenue, & ad omnem injuriam impatiens, quod levi vel frigore, vel aeſtu poſſet affligi. Igitur ſacco tantum membra coopertus, & pelliceum habens ependyten, quem illi beatus Antonius proficiſcenti dederat, ſagumque ruſticum inter mare, & paludem, vaſta, & terribili ſolitudine fruebatur, quindecim tantum carycas poſt ſolis occaſum comedens; & quia regio latrociniis infamis erat, numquam in eodem loco manſitans. Quid faceret diabolus? quo ſe verteret? qui gloriabatur antè, dicens: In Caelum aſcendam: ſuper ſidera caeli ponam thronum meum, & ero ſimilis altiſſimo: cernebat ſe vinci a puero, & prius ab eo calcatum fuiſſe, quam per aetatem calcare potuiſſet. Titillabat itaque ſenſus ejus, & pubeſcenti corpori ſolita voluptatum incendia ſuggerebat. Cogebatur tyrunculus Chriſti cogitare quod neſciebat: & ejus rei animo pompam volvere, cujus experimenta non noverat. Iratus itaque ſibi, & pectus pugnis verberans quaſi cogitationes caede manus poſſet excludere, ego inquit, aſelle faciam ut non calcitres; nec te hordeo alam, ſed paleis: Fame te conficiam, & ſiti: gravi onerabo pondere: per aeſtus indagabo & frigora, ut cibum potius, quam laſciviam cogites. Herbarum ergo ſucco, & paucis carycis poſt triduum vel quatriduum deficientem animam ſu-

Digitized by Google

ſuſtentabat orans frequenter, & pſallens, & raſtro humum fodiens; ut jejuniorum laborem labor operis duplicaret. Simulque fiſcellas junco texens, aemulabatur aegyptiorum monachorum diſciplinam, & Apoſtoli ſententiam, dicentis: qui autem non operatur, non manducet. Sic attenuatus, & in tantum exeſo corpore, ut oſſibus vix haereret.

Poſt pauca *Igitur a ſextodecimo uſque ad viceſimum ſuae aetatis annum aeſtus, & pluvias brevi tuguriunculo declinavit, quod junco & carice texerat. Extructa deinceps brevi cellula quae uſque hodie permanet, latitudine pedum quatuor, altitudine pedum quinque, hoc eſt ſtatura ſua humiliore, porro longitudine paulo ampliore, quam ejus corpuſculum patiebatur, ut ſepulchrum potius, quam domum crederes; capillum ſemel in anno Die Paſchae totondit: ſuper nudam humum, ſtratumque junceum uſque ad mortem cubitavit: ſaccum, quo ſemel fuerat indutus, numquam lavans: & ſuperfluum eſſe dicens, mundicies in cilicio quaerere. Nec mutavit alternam tunicam, niſi cum prior penitus ſciſſa eſſet. Scripturas quoque Sanctas memoriter tenens, poſt orationes, & pſalmos, quaſi Deo praeſente, recitabat. Et quia longum eſt per diverſa tempora carptim aſcenſum ejus edicere, comprehendam breviter ante lectoris oculos vitam ejus pariter exponens, & deinceps ad narrandi ordinem regrediar. A vigeſimo primo anno uſque ad viceſimum ſeptimum, tribus annis dimidium lentis ſextarium madefactum aqua frigida comedit, & aliis tribus panem aridum cum ſale, & aqua. Porro a vigeſimo ſeptimo uſque ad trigeſimum, herbis*

agre-

agreſtibus , & virgultorum quorundam radicibus crudis ſuſtentatus eſt . A triceſimo autem primo uſque ad triceſimum quintum , ſex uncias hordeacei panis , & coctum modice olus abſque oleo in cibo habuit . Sentiens autem caligare oculos ſuos , & totum corpus impetigine , & pumicea quadam ſcabredine contrahi ad ſuperiorem victum adiecit oleum : & uſque ad ſexageſimum tertium vitae ſuae annum hoc continentiae cucurrit gradu , nihil extrinſecus rei guſtans . Inde cum ſe videret corpore deſatigatum , & propinquam putaret imminere mortem , a ſexageſimo quarto anno uſque ad octogeſimum pane abſtinuit , incredibili fervore mentis ; ut eo tempore quaſi novus accederet ad ſervitutem Domini , quo caeteri ſolent remiſſius vivere . Fiebant autem ei de farina , e comminuto olere ſorbiciunculae cibo , & potu vix quinque uncias appendentibus : Sicque complens ordinem vitae , nunquam ante ſolis occaſum , nec in diebus Feſtis , nec in graviſſima valetudine ſolvit jejunium . Sed jam tempus eſt , ut ad ordinem revertamur . Integram Hilarionis vitam a Divo Hieronymo ſcriptam hic referre opus eſſet , ut noſcatur praeclariſſimum Eccleſiae Doctorem , non tantum Geſta *miraculis , ac prophetiis* onuſta narraſſe , ſed miraculis , prophetiiſque innumeras *Virtutes* intexuiſſe : Tandem paulo antefinem ſic narrat . *Semper enim ſilentium & vitam ignobilem deſiderabat . Igitur octogeſimo aetatis ſuae anno , cum abſens eſſet Heſychius , quaſi teſtamenti vice , brevem manu propria ſcripſit Epiſtolam , omnes divitias ſuas ei derelinquens , Evangelium ſcilicet , & tunicam ſacceam , cucul-*

200

lam, & palliolum: nam miniſter ejus ante paucos dies objerat: venerunt itaque ad aegrotantem de Papho multi religioſi viri, & maxime, quod eum dixiſſe audierant, jam ſe ad Dominum migraturum, & de corporis vinculis liberandum; ſed & Conſtantia quaedam, ſancta femina; cujus generum, & filiam de morte liberaverat unctione olei, quos omnes adjuravit, ut ne puncto quidem horae poſt mortem reſervaretur, ſed ſtatim eum in eodem hortulo terra operirent, ſicut veſtitus erat in tunica cilicina, & cuculla, & ſago ruſtico. Jamque modicus calor tepebat in pectore; nec praeter ſenſum, quidquam vivi hominis ſupererat: & tamen apertis oculis loquebatur: egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? ſeptuaginta prope annis ſerviſti Chriſto, & mortem times? in haec verba exhalavit ſpiritum.

Qui vitam Divi Gregorii Thaumaturgi legit a Divo Gregorio Nyſſeno ſcriptam to. 3. op. fol. 534. & ſeqq. clariſſime cognoſcit ipſum Egregii viri miracula enarrare, ipſiuſque heroicas virtutes referre. Sufficit ſequentia verba legere, non longe a fine fol. 574. lit. D. ex quibus eruitur, quo zelo, quaque virtute Epiſcopale munus obierit: *Cum autem hoc modo ſe gereret, & muniere ſuo fungeretur in Eccleſia adminiſtranda, & antequam excederet vita, cuperet omneis a ſimulachris ad ſalutarem fidem videre converſos: Ubi ſuum obitum praeſenſit, ſtudioſe diligenterque totam urbem, agrumque circa vicinum perſcrutatur, ſcire valens, ecqui adhuc eſſent extra fidem relicti. Ut igitur cognovit, non plures ſe-*

ptem-

Digitized by Google

ptemdecim eſſe, qui in antiquo errore permanſiſſent, acerbum quidem etiam hoc, inquit, ad Deum ſuſpiciens; deeſſe aliquid eorum plenitudini, qui ſervantur: verumtamen magna gratiarum actione dignam eſſet ajebat; quod totidem ſimulacbrorum cultores relinqueret ei, qui ſibi ſucceſſurus eſſet in Eccleſia, quot ipſe Chriſtianos accepiſſet: precatus autem & iis, qui eam credidiſſent, incrementum, & perfectionem, & incredulis converſionem, ita, tandem ex vita humana ad Deum migrat, obteſtatus neceſſarios ſuos, ne peculiarem ſibi locum ſepulturae compararent. Nam ſi vivus nullius loci Dominus vocari voluiſſet, ſed in alienis tamquam inquilinus, & peregrinus habitans, vitam tranſegiſſet, ne poſt mortem quidam prorſus inquilinatum ſibi dedecori fore putaret. Si nihil aliud de Divo Gregorio Thaumaturgo referret Nyſſenus, niſi Neocaeſareenſem populum ab Idololatria ad Chriſtianam fidem a praeclariſſimo Antiſtite vocatum, hoc non innueret, immo abunde demonſtraret qua erga Deùm, proximumque charitate flagraret, quoque heroico zelo commiſſum a Deo ſibi gregem rexiſſet! In tota autem Hiſtoria miràcula tanti viri deſcribit Nyſſenus, egregiaſque virtùtes, quibus ejus Anima ornata erat.

In S. Severini Noricorum Apoſtoli vita, miracula, ac prophetiae narrantur, ſed virtutes non omittuntur cap. 2. num. 11. Ap. to. 1. Jan. Johannis Bollandi fol. 487. ſic lego; *Deinde B. Severinus in locum remotiorem ſecedens qui ad vineas vocabatur, cellula parva contentus, ad praedictum oppidum remeare divina revelatione com-*

*pellitur , ita ut quamvis eum quies cellulae dele-
ctaret , Dei tamen juſtis obtemperans , monaſterium
haud procul a civitate conſtrueret ubi plurimas ſan-
cto caepit informare propoſito , factis magis quam
verbis animas inſtruens auditorum . Ipſe vero ad
ſecretum habitaculum , quod Purgum oppidum ap-
pellatur ab accolis , quinque a Favianis diſtans
milliariis , ſaepius ſecedebat , ut hominum declina-
ta frequentia , quae ad eum venire conſueverat ora-
tione continua Deo protinus inhaereret . Sed quan-
to ſolitudinem incolere cupiebat , tanto crebrius reve-
lationibus monebatur , ne praeſentiam ſuam populis
denegaret afflictis . Proficiebat itaq. per ſingulos
dies ejus meritum , creſcebatque fama virtutum ,
quae longe lateque diſcurrens , caeleſtis gratiae in eo
ſigna pandebat . Neſciunt enim latere quae bona
ſunt tum juxta ſententiam Salvatoris , nec lucerna
ſub modio contegi , nec in monte poſita civitas poſ-
ſit abſcondi . Inter caetera enim magnalia , quae
illi Salvator indulſerat , praecipuum abſtinentiae mu-
nus accipiens , carnem ſuam plurimis ſubjugabat
inediis , docens corpus , quod cibis abundantioribus
enutritur , animae interitum protinus allaturum .
Calceamento nullo penitus indutus , ita media
hyeme quae in illis regionibus ſaeviore gelu tor-
peſcit , nudis pedibus ſemper ambulare onnten-
tus , ſingulare patientiae dabat indicium . Ad cu-
jus immanitatem frigoris comprobandam , teſtem
conſtat eſſe Danubium , ita ſaepe glaciali nimieta-
te concretum , ut etiam plauſtris ſolidum tranſitum
ſubminiſtret . Qui tamen talibus per Dei gratiam
virtutibus ſublimatus , intimam humilitatem fateba-
tur dicens :* Ne putetis mei meriti eſſe quod
cer-

203

ternitis, veſtrae eſt potius ſalutis exemplum. Ceſſet jam humana temeritas, elationis ſupercilium comprimatur, ut aliquid boni, poſſimus eligimur, dicente Apoſtolo: Qui elegit nos ante conſtitutionem mundi, ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ejus orate imo pro me, ut non ad condemnationis cumulum, ſed ad juſtificationis augmentum Salvatoris mihi dona proficiant. *Haec, & his ſimilia ſolebat proferre cum fleribus, miro erudiens homines humilitatis exemplo, cujus virtutis fundamento munitus, tanta divini muneris claritate fulgebat, ut ipſi quoque hoſtes haeretici reverentiſſimis eum officiis honorarent.* Num. 12. narratur Rugiorum Regem ſalutaribus monitis a Divo Severino fuiſſe inſtructum. Cap. 3. nu. 15. refert Auctor, contemtum ſervorum Dei non fuiſſe iratum nu. 16. Captivos redemiſſe, ac Divorum conlegiſſe Reliquias nu. 12. Epiſcopatum recuſaſſe, ac monachos inſtruxiſſe refert Eugipius, captivis, & afflictis opem tuliſſe, ac nefanda ſacrificia miraculoſe detexiſſe, ac aboleviſſe narratur in cap. 4. Capite quinto miracula ab eo patrata idem Eugipius refert; ſed capite 6. captivos, pauperes, afflictoſque juvaſſe narrat, ac cap. 8. periclitantibus, aegris, egeniſq. opem tuliſſe. Tandem cap. 2. deſcribit Eugipius Rugiorum Regem, Reginamque jam moriturum Divum Severinum monuiſſe, Frederico Regi juſtitiam commendaſſe, monita diſcipulis dediſſe, tandemque ſpiritu Dei plenum in Domino obiiſſe.

Digitized by Google

204

Ex his ergo habemus non bene Artemam Geſtorum Divi Nicolai Scriptorem a Cl. Falconio defendi, quia virtutes ejus omiſit, ex adlatis, aliiſque Scriptoribus exemplis petitis: Nam iſti Divorum Miracula, prophetiaſque retulerunt: Artemas autem virtutum Divi Nicolai narrationem praetermittit.

C A P. IX.

Reliqua in Actis obſervatione digna referuntur, atque examinantur.

TAnta pro Actorum Divi Nicolai, quae nuper vulgata ſunt, ſuppoſitione, falſitateque nobis ſuppetunt, argumenta, ut qui ea perpenderit, in noſtram cogetur deſcendere ſententiam. Cap. 13. Actorum fol. 28. haec leguntur; *Imminente autem tempore Roſſaliorum progenitoris noſtri S. Nicolai:* quid ſibi velint haec verba, *tempore Roſſaliorum*, (hoc eſt feſto Pentecoſtes, ut ibidem in notis legitur). *Progenitoris noſtri Sancti Nicolai* judicent eruditi. In eodem capite dum mors Divi Nicolai narratur, dicitur praeſente etiam Diacono, & Cellarario Nicolao: Ducangius vir Cl. haec Acta non obſervavit, qui in Gloſſar. Med. Lat. dum *Cellararii* mentionem facit, pro hac voce Caroli M. Capitula ad monachos refert ann. 789. cap. 6. ſi enim haec Acta cognoviſſet, hanc vocem antiquiorem fuiſſe tradidiſſet profecto.

Sed

Sed has minoris momenti res omittamus: dum ad demonſtrandam Actorum falſitatem robuſtiora ex iiſdem Actis depromta habemus argumenta.

Capite 33., & ultimo ſic legitur pag. 29. *Dei autem Servus, & Sanctiſſimus Epiſcopus Nicolaus, defunctus eſt, juxta Dei benignitatem, menſe Decembri, die ſexta, feria quarta, Indictione decimatertia: ſub Imperio amantis Chriſti Imperatoris noſtri Juſtiniani, anno decimo octavo: ſub ſedente Sanctiſſimo Archiepiſcopo, & Patriarcha Macario: ac Sanctum, & Deo charum ejus corpus, in ſancta, & glorioſa Sion, eſt depoſitum.* Quot verba tot fabulae, totque anachroniſmi. Divus Nicolaus igitur fatis ceſſit, menſe Decembri, die ſexta, Feria quarta, Indictione XIII., anno Imperii Juſtiniani XVIII. Sexta autem Decembris dies, & quarta Feria, neque cum Indictione XIII., neque cum anno XVIII. Imperii Juſtiniani convenit. Dies enim ſexta menſis Decembris, & feria quarta concurrunt cum annis 545. 551. 556., & 562., ſed annus 545. convenit cum anno 19. Juſtiniani, & nona Indictione. Annus 551. concurrit cum anno 25. Juſtiniani, & Indictione XV. annus 556. convenit cum anno, Juſtiniani 30. & Indictione V. annus tandem 562. ſignabatur XI. Indictione, & eo tempore 36. Imperii annum numerabat Juſtinianus. Habemus igitur omnium rerum confuſionem in Actis Divi Nicolai nuper a Falconio vulgatis; dicitur enim *defunctus menſe Decembri, die ſexta,*

Digitized by Google

20206

feria quarta Indictione decimatertia, *ſub Imperio Juſtiniani anno decimo octavo*. Annus autem decimus octavus Juſtiniani concurrebat cum Indictione VIII., & eo tempore feria quarta non erat ſexta Decembris dies, ſed quinta. Qui haec omnia noſcere cupit, Baronium, Pagium, Petavium, Ricciolium, caeteroſque Hiſtoricos, Chronologoſque conſulat.

Revera tamen neque Hiſtoricos, neque Chronologos legere oportet; nam nulla de his eſt controverſia. Immo adeo clara ſunt omnia, ut harum rerum ipſummet Cl. Falconium in luſtrem teſtem habeamus. In Prolegom. c. 7. n. 5., & 6. fol. 8. *obitus diem expreſſe deſignant Acta menſe Decembri; die ſexta, feria quarta, Indictione decima tertia, Juſtiniani Imperatoris, anno decimo octavo. Pro his citat Methodium Beatillus: pro Juſtiniano Conſtantinum dicit; & pro die ſexta Decembris, feria ſexta Nicolaum defunctum eſſe. Quae oppido non ſunt vera, nec Methodius illa adſtruit. Nos diſſimulo inter ſe etiam hae notae temporum, non cohaerent. Sexta die Decembris, & quarta feria, invenire non poſſunt in decima tertia Indictione, & cum anno decimo octavo Juſtiniani. Feria quarta, ſexta decembris die, invenitur in annis 545. 551. 556., & 562. Sed annus 45. concurrit cum anno 19. Juſtiniani, & nona indictione. Annus 551. concurrit cum an-anno 25. Juſtiniani, & Indictione decimaquinta. Annus 556. concurrit cum anno trigeſimo Juſtiniani, & Indictione quinta. Et annus 562. concurrit cum anno trigeſimo ſexto Juſtiniani, & cum unde-*

Digitized by Google

undecima indictione. A quibus Actorum noſtrorum notae diſcrepant ſemper. Et Artemas, qui haec ſcripſit; Divi Nicolai frater fuit, eique morienti adſtitit, ut acta teſtantur Capp. 17. 19. 20. 21. 24. 31. ut ſupra monui; quique eodem anno, vel menſe funeris haec ſcripſit, iſta neſcire ait? Ipſum eodem anno, & menſe forſitan ſcripſiſſe teſtatur doctiſſimus Falconius in Prolegom. c. 3. num. 7. fol. 7. col. 2., *quod indicio eſt evidenti, eodem anno, vel menſe funeris (ſummum altero) haec Nicolai geſta, mente, ſermone Lycio, quo ſcripta erant, eum poſteris conſignaſſe.*

Vanum Eruditiſſimi Viri effugium eſt, poſita adlata objectione, haec ſcribentis in Proleg. cap. 7. n. 6. fol. 8.; *corrigendi ergo ſunt anni Juſtiniani, & indictionum. Inclino ad annum* 551. *in quo facilius erravit amanuenſis: pro indictione (XV) ad Decembrem, ſcribens (XIII.), & pro annis Juſtiniani (XXV.) ſcribens (XVIII.) & ita reapſe factum in noſtris ſit: & cuncta procedent recte. Sexta Decembris die, feria quarta, indictio decima quinta; vigeſimo quinto anno Juſtiniani: In actis ipſis Conciliorum, & praecipue in quinta Synodo Oecumenica, habita Conſtantinopoli proximo anno* 553. *ſaepe haec ſphalmata, editores illarum notant; tanquam corruptam vitio amanuenſium,* Omnia acta ſpuria, ac ſuppoſititia ſincera evadent, ac inter genuina adnumerabuntur, ſi difficultates corrigas, praecipuè ex notis Chronologicis petitas: per verbum enim *corrige* ſanantur omnia, difficultateſque exſolvuntur.

Difficultates iſtae adeo mihi robuſtae videntur

208.

tur, ut extricari nequaquam poterunt: mecumque ita cenſebunt omnes, qui ut Critici, atque ut eruditi audiunt: quae etſi ſolae fuerint, abunde oſtendunt Acta iſta ab nugivendo fuiſſe conſarcinata. Sed fortior eſt objectio ex eodem capite ultimo Actorum petita. Dicunt enim Acta; *defunctus eſt juxta Dei benignitatem .... ſub ſedente Sanctiſſimo Archiepiſcopo, & Patriarca Macario*. Ubinam Macarium hunc Patriarcham expiſcatus fuit, qui haec Acta conſarcinavit? Cl. Falconius hanc difficultatem praeoccupat dicens cap. *6*. n. *9*. in Prolegom. fol. 13., & ſeq. *His ergo Anonymorum Francorum dictis facile rejectis; ſequentem difficultatem, minori negotio explodemus, quae majoris videbatur ponderis, & non eſt. Ex Chronographia S. Nicephori Patriarchae Conſtantinopolis nono ſeculo; habemus, ab anno* 547. *ad* 552. *Macarium ſecundum, ſediſſe Epiſcopum, & Patriarcham Eccleſiae Hieroſolimae. Reapſe autem haec vera ſunt, teſte Evagrio lib.* 4. *cap.* 37. *Eccleſiaſticae ſuae hiſtoriae, ubi ſic habet, longè ante S. Nicephorum*: Poſt Menam Eutychius Pontificalem Sedem Conſtantinopoli obtinuit: Hieroſolymis verò poſt Martyrium Saluſtius in ejus locum ſucceſſit. Poſt hunc Helias: poſt Heliam Petrus: poſt Petrum Macharius ejuſdem urbis Epiſcopatum ſuſcepit. Hic poſtea ſua Sede expulſus eſt; propterea quod Origenis dogmata aſſertor dicebatur. Poſt hunc igitur Euſtachius Epiſcopalem Sedem ſortitus eſt. *Idem cap.39.* Macario denique Hieroſolymitana Eccleſia poſſiden-

Digitized by Google

209

dente , atque in priſtinam Sedem reſtituto , quod poſt depoſitionem Euſtochii ; Origenem, Didymus , atque Evagrium (*poſt Paulinum , Epiſcopum Antiochenum*) ſub anathemate damnaſſet &c. *Ad quae loca Valeſius notat :* Macarius Epiſcopus Hieroſolymorum ordinatus eſt anno Chriſti 546. , & cum biennio poſt , e Sede ſua exturbatus fuiſſet ; in ejus locum ſubrogatus eſt Euſtochius anno 548. , ut tradit Baronius . Diſſentit tamen Victor Tunnonenſis (*aequalis tempori*) in Chronico . Macario enim annos octo Epiſcopatus attribuit ; eoque ſuperſtite , Euſtochium ordinatum eſſe ait , anno ante quintam Synodum , ideſt anno Chiſti 552. Id quod verius ipſe exiſtimo . Verum Baronius longe a vero aberravit . Macarius enim diu poſt quintam Synodum , pulſo Euſtochjo (*qui per ſuos illi ſubſcripſit*) in Sedem ſuam reſtitutus eſt , anno Juſtiniani 37. *Chriſti vero 565. Hoc pacto inventus eſt Macarius , qui (ſine correctione) convenit , Actorum noſtrorum tempori . Sed ludis profecto qui haec adſerit : nam Macarius , de quo agunt Acta , neque fuit , neque eſſe potuit Hieroſolymitanus Patriarcha , ſed Conſtantinopolitanus , ſub quo erat Lycia . Dicunt enim Acta ; Defunctus eſt* . . . Sub ſedente Sanctiſſimo Archiepiſcopo , & Patriarcha Macario . Loqui enim hiſce verbis Acta de Patriarcha , cui Lycia ſubjecta erat , non eſt certum tantum , ſed certo certius eſt . Unde ipſemet doctiſſimus Falconius ſubdit ibid. *tunc Macarium Hieroſolymitanum e*

mani-

Digitized by Google

210

manibus delati. Corruit ergo iſthaec reſponſio: En Cl. Viri verba immediate poſt adlata: *quod malum autem, hoc illud eſt; quod etiam hoc modo ſenſim nobis delabitur e manibus hic Macarius: adeoque praejacta ſub iis fundamenta, opus eſt, ut in fumum abeant. Dato per ea tempora hoc Patriarcha; adhuc tamen, is Actis noſtris, nequidquam prodeſt, aut obeſt. Quid namque cuiquã eſt uſui, hic Macarius, tunc Hieroſolymis Patriarcha; cum Patriarcha hujus nominis, de quo tantum (ut ſupra etiam, in Antiocheno Macario, viſum eſt) ſola quaeſtio, & indagatio de Patriarcha Conſtantinopolitano, nobis eſt?*

Infirma etiam ex noſtra ſententia, illa reſponſio eſt, quam Cl. Faleonius adfert c. 9. n. 5. in Proleg. pag. 12. In Actis noſtris diſerte habemus, Nicolaum diem ſuum obiiſſe: *Sedente Sanctiſſimo Archiepiſcopo, & Patriarcha Macario, ac Sanctum ejus corpus eſt depoſitum &c. Nec abſimiliter ipſa undecimo Seculo legebantur, latine verſa ex alio horum Actorum Codice. Quippe alter Neapolitanus noſter Anonymus (a nobis hic, pagina* 154. *editus) ſcribit, id factum ſub ſanctiſſimo, & beatiſſimo Patre noſtro Patriarcha Macario. Haec olim mihi fixerunt crucem, nunc autem facile exſolvuntur. Nicolaum defunctum ſcimus, anno Chriſti* 551. *Indictione* 15. *ſub Juſtiniano Imperatore, anno Regni ejus* 25. *Scimus pariter, tunc ſediſſe Euthychium, Archiepiſcopum Conſtantinopolis, & Patriarcham. Ergo is eſt, Macharius ille Anonymus putandum proinde eſt, antiquus ſeculo decimo, quo haec Acta noſtra deſcri-*

Digitized by Google

211

ſcripta ſunt, ita in illo Codice ſcriptum eſſe: Sedente ſanctiſſimo, & beatiſſimo Patre noſtro Eutychio, Archiepiſcopo, & Patriarcha. Et Sanctum ejus Corpus eſt depoſitum &c. *Is ſedebat, anno* 551. *poſt Mennam; is praefuit quintae Oecumenicae Conſtantinopolitanae Synodo anno* 553. *Ita ergo reſtituendus eſt textus; & ita (praeferente facem noſtro hoc Anonymo undecimo Seculi) lacuna antiquiſſima eſt replenda. Quam librarius, & Amanuenſis noſter decimo, habebat quidem, ſed non cognovit, in ſuo Codice latuiſſe. Sicut, nec noſter iſte Neapolitanus, ex latino Codice exſcriptor alius, Seculo undecimo, quem attulimus, noſtro lumini*. Ibidem n.6. pag. 14. *Oportet, itaque, ut inviti, vel ultro noſtrae naturali, facilique, & levi correctioni, adverſarii acquieſcant: ne inſudemus, & fruſtra auxilius quaerendis aliis, pro ſolutione, vel ſectione nodi hujus gordiani; quem feliciſſime jam diſſolvimus*. Fatetur ergo eo tempore non Macarium, ſed Eutychium Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum, & Patriarcham fuiſſe: Et revera ita eſt: Conſule, amice Lector, Patriarcharum Conſtantinopolitanorum ſeriem tom. 1. Auguſti Bollandiani ante Divorum Vitas, & Macarium ſub Juſtiniano prorſus non reperies: quo tempore ex hiſce ſuppoſititiis Actis Divus Nicolaus defunctus eſt. Vivebat enim eo tempore Eutychius, qui Conſtantinopolitanus Patriarcha electus eſt anno aerae Chriſtianae DLII. fatiſque ceſſit anno DLXXXI. ſub Tiberio Conſtantino; de quibus rebus S. Euthychii vitam

Digitized by Google

1172L

ta legenda eſt to. 1. Aprilis Bollandiani ad diem ſextam, & profecto hiſce poſitis quis non demiretur, qua ratione Cl. Falconius, quum adſeruiſſet in Proleg. c. 9. n. 1. fol. 12. Nicolaum defunctum ſcimus, anno Chriſti 551. Indictione 15. ſub Juſtiniano Imperatore, anno Regni ejus 25. Scimus pariter, tunc ſediſſe Eutychium, Archiepiſcopum Conſtantinopolis, & Patriarcham; deinde ſtatim adſerat; *Is ergo eſt Macarius: putandumque eſſe in Codice antiquo legi, non Macarium, ſed Euthichium?* Si haec reſponſio ſubſtineatur, dent mihi Critici omnia ſuppoſititia Martyrum Acta, & ea ut genuina evulgabo.

Inter alia quae Cl. Tillemontius, & merito in Actis S. Calliſti adnotat, ut ea genuina non eſſe demonſtret to. 3. Hiſt. Eccl. not.2. in S.Calixt. fol. 680. col. 2. in fine, hocce eſt: In initio legitur ap. Surium tom. 10. ad diem 14. Octobris fol. 210. *Temporibus Macrini, & Alexandri. Nihil*, Tillemontius addit, *commune habuit Alexandri, Macrinique Imperium*. Sed haec difficultas evaneſcit ſi Cl. Falconium ſequamur, dicamuſque; *Putamus in antiquo Codice non legi temporibus Macrini, & Alexandri, ſed Alexandri tempore*. S. Pontii Acta, quae ut ſincera vulgavit Balutius to. 2. Miſcellan. fol.124. & ſeqq., deindeque Bollandiſtae to. 2. Maii ad diem 14. pag. 274. defendi non poſſe tradit Tillemontius: inter alia haec ait; Pontius de ſuo Patre dicit; *Eum peſſimum, & perverſum in cultura Daemonum ſuorum eſſe ultra omnes homines*.

Haec

Digitized by Google

Haec verba filii certe non ſunt, qui optimam educationem habuit. Sed haec difficultas in fumum abit, ſi Falconii doctiſſimi ſententiam propugnemus, dicamuſque: *Putamus in antiquo Codice legi ſic; eum in cultura Daemonum ſuorum vivere.*

De Actis S. Stephani Papae verba faciens idem Tillemontius to. 4. not. 1. in S. Steph. fol. 592. col. 2. duo obſervat, ut ea genuina non eſſe probet. Haec Acta quae apud Surium to. 8. ſub die 2. Auguſti pag. 28. & ſeq., & ap. Bollandiſtas tom. 1. Aug. die 2. leguntur Romae nobis Gallienum exhibent octavo Kalendas Auguſtas anno CCLVI. & eo anno Romae non erat. Poſt pauca, Acta eadem hoc complementum habent; *Valeriano III., & Gallieno II. Conſulibus*. Eo autem anno, quo S. Stephanus martyrio coronatus eſt Gallienus non ſecundum, ſed tertium Conſulatum agebat, ut apud Conſulares Faſtos videre eſt. Si autem dicas Divum Stephanum Pontificem non anno 258. Martyrium ſubiiſſe; ſed alio anno, creſcit difficultas; nam eo anno neque Valerianus, neque Gallienus Conſules erant. De anno mortis S. Stephani Conſule Pagium in Critica Baroniana to. 1. ad an. 257. num. 2. fol. 265. col. 1. alioſque. Hiſce difficultatibus ita fit ſatis: *corrige annum 256. & hujus loco alium pone quo Gallienus vere Romae erat: Pro Valeriano IV. & Gallieno II. conſulibus, illos conſules exhibe, qui eo anno erant, quo Stephanus obiit.*

Di-

214

Divorum Euſebii, & Marcelli Acta plures difficultates nobis exhibent, ac inter alias obſervat Tillemontius 16. not, 2. pag. 593. in initio, ubi legitur, *Valeriano, & Lucillo conſulibus*; Iſti conſules erant anno 265. quod cum hiſce Actis non convenit, quae ſupponunt Valerianum eo anno imperaſſe: Valerianus autem ad annum uſque 260. Imperium moderatus eſt. Iſta difficultas rejicitur per unum verbum *corrige*, vel per ſequentia; *puto in antiquo codice legi*; *Aemiliano, & Baſſo* Coſſ. iſti enim conſules erant anno 259.

Divi Sebaſtiani Acta ab eruditis divo Ambroſio adjudicantur, quum ipſe tradat praeclarum Martyrem Mediolanenſem oriundum fuiſſe. Sic enim in Pſal. 118. ad illa verba, quae ſic adfert; *Multi perſequentes me, & tribulantes me; a teſtimoniis meis non declinavi*, *ait*; *Utamur exemplo Sebaſtiani Martyris, cujus hodie natalis eſt; Hic Mediolanenſis oriundus eſt*.

Acta autem eum Narbonenſem Civem faciunt, ſed haec difficultas magnifacienda non eſt, & per verbum *corrige*, ſive per haec ſanantur omnia; *Puto in antiquo Actorum Codice, non legi Narbonenſem Civem, ſed Mediolanenſem oriundum*. S. Mammarii Acta, ut genuina vulgavit Mabillonius to. 4. vet. Analect. pag. 93. In eis quaſdam difficultates invenit Tillemontius to. 5. not. 33. in Perſec. Dioclet. fol. 617. Martyrem paſſum dicunt Acta ſub Maximiano, & Gallieno Imperatoribus: Maximianus

cum

Digitized by Google

215

cum Gallieno non regnavit unquam . Quod ſi *Galerium pro Gallieno corrigas*, tibi objicietur.

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

Nam Maximianus non cum Galerio , ſed cum Diocletiano imperavit. Haec autem difficultas rejicitur, Actaque genuina erunt , ſive dicendo *corrige*; ſive addendo ; *Puto quod in antiquo Codice non legebatur ſub Maximiano , & Gallieno, ſed ſub Maximiano , & Diocletiano Imperatoribus*. S. Petri Martyris Alexandrini Acta, ut ſuppoſititia rejiciunt Eruditi ; ubi inter alia legitur Arium eo tempore Presbyterum fuiſſe. En Actorum verba ap. Surium to. 11. ſub die 26. Novembr. fol. 527. num. 3. *Projecerunt ſe ad genua beati Petri obſecrantes eum cum lacrymis, ut Arrium a vinculo damnationis abſolveret, & eum in Sancta Eccleſia Praesbyteri miniſterio reſtitueret.*

Sozomenus autem tradit Arium Diaconum eo tempore fuiſſe, tandemque ab Achilla Divi Petri Martyris in Alexandrina ſede ſucceſſore Presbyterum ordinatum fuiſſe : En Sozomeni verba lib. 1. c.15. to. 2. ap. Euſeb. &c. fol. 347. *Verum licet hoc modo , & in reliquis omnibus Chriſtiana Relligio floreret tamen contentioſae quaedam diſputationes Eccleſiam perturbarunt .... Harum autem diſputationum Auctor fuit Arius , Alexandriae , quae eſt in Aegypto , Presbyter. Qui cum rectae doctrinae ſtudioſus propugnator initio viſus eſſet , Meletium res novas in Eccleſia molientem adjuvit. Poſtea vero relictis ejus partibus a Petro Alexandrinorum Epiſcopo Diaconus eſt ordinatus ....*

Digitized by Google

216

Poſtea vero quam Petrus Martyrium pertuliſſet, Arius ab Achilla veniam precatus, ad Diaconi officium rediit, & ad Preſbyteri dignitatem promotus,

Huic objectioni reſpondetur, ubi Acta habent eum fuiſſe Presbyterum; *corrige;* *Diaconum:* vel dic; *Puto quod in antiquo codice legebatur non Presbyterum, ſed Diaconum a S. Petro Alexandrino fuiſſe ordinatum*. Aliam difficultatem, caeteris omiſſis, nobis haec Acta exhibent: adſerunt enim Fideles voluiſſe condere corpus S. Petri Martyris in Templo S. Theonae: Templum autem S. Theonae non dum aedificatum erat: illud enim extrui curavit S. Alexander, ut teſtatur in Apol. ad Imp. Conſtantium, quae incipit; *cum probe noris* to. I. ap. col. 304. editionis Maurinae S. Athanaſius. Hanc difficultatem objiciunt Natalis Alexander to. 4. Hiſt. Eccl. ſaec. 4. diſſert. 9. in fine fol. 209. Pagius in Critic. Baron. ad an. 310. num. 4. fol. 351. Tillemontius to. 5. Hiſt. Eccl. not. I. art. I. in V. Petr. Alex. fol. 757. col. I. aliique. Sed ſanantur omnia ſi dicas *corrige;* vel *puto in antiquo Codice non legi in Eccleſia S. Theonae, ſed in majori Eccleſia Civitatis illius*. In Conciliis Generalibus, Epiſtola reperitur S. Silveſtri Papae Patribus Concilii Nicaeni inſcripta, quam falſam eſſe cenſent Eruditi. Baronius inter alia haec habet ad an. 325. num. 171. *Huic nempe fictitiae Epiſtolae Concilii Nicaeni ad Silveſtrum habetur conjuncta Silveſtri Epiſtola ad Synodum, ſed mendoſiſſima,*

quae,

Digitized by Google

quae , & ob Conſules perperam poſitos commentitia reputatur , utpote quae data , & accepta habeatur ſub Conſulatu Conſtantii quarto cum Conſtantini octavo ſive ſeptimo , hoc eſt ab hoc (nempe. 325.) annus quintus. Et revera iſti Conſules erant anno 329. ut apud Faſtos conſulares videre eſt: Concilium autem Nicaenam anno 325. celebratum eſt . Lege Diſſertationem XIII. Natalis Alexandri in ſec. 4. to. 4. Hiſt. Eccl. fol. 219. & ſeq. Eamdem difficultatem ex eodem doctiſſimo Cardinali Baronio objiciunt Tillemontins to. *6.* not. 23. in concil. Nicaen. fol. 822. col. 1. Natalis Alexander to. 4. ſaec. 3. c. 3. art. 4. §. 2. in fine ſol. 33. col. 2. lit. D ; & E ; aliique , ſed haec difficultas rejici poteſt , vel per verbum *corrige* . vel ſi *dicatur ; Puto in antiquo Codice non legi ſub Conſulatu Conſtantii IV. , & Conſtantini VIII. , ſed ſub Paulino , & Juliano Conſulibus* . Nam iſti Conſules erant an. 325. quo anno , & ſub iiſdem Conſulib. Nicaenam Synodum celebratam fuiſſe certum eſt , ut nuper diximus , & inter omnes eruditos convenit .

Funem nimis oblongum trahere oporteret , ſi omnia MM. Acta , aliaque vetera monumenta probare in animo eſſet , quae ut ſuppoſititia ab eruditis rejiciuntur , ut genuina amplecti debere , quum dicatur *corrige* , vel : *Puto in antiquo Codice , unde haec Acta exſcripta ſunt , ſic non legi* .

Meliori ergo modo validae , robuſtae objectioni ex ignoto Juſtiniani tempore , Macario

218

rio Patriarcha Conſtantinopolitano petitae reſpondetur ; Artemam Actorum Divi Nicolai Scriptorem Synchronum , ſicut virtutum ejus fuiſſe oblitum , ut Falconius teſtatur (*a*) ; etiam Patriarchae Conſtantinopolitani , qui eo tempore vivebat oblitum fuiſſe ; ſicuti & annorum Juſtiniani , Indictionis , & Feriae ; vel cuncta haec Amanuenſem dormitantem (*b*) exſcripſiſſe . Revera tamen hiſce leporibus , hiſceque ſalibus penitus omiſſis , ut ſerio , & abſque joco loquamur , haec omnia perſonatum Artemam falſitatis arguunt apertiſſime . Et tamen quum adlatum nuper ultimum Actorum caput tot falſitatibus , totque anachroniſmis ad nauſeam uſque redundans adtuliſſet Cl. Falconius haec ſubdit fol. 29. *Atque haec vera ſunt Acta S. Nicolai Epicopi , primigenia , & genuina ; nunquam hactenus Graece edita , vel latine ; & ab eruditis ſemper deſiderata : nunquam vero a quoquam inventa , vel memorata : quod mibi a Deo fuerant reſervata : ſcripta autem illa ſunt ab Artema Archimandrita Ejuſque diſcipulo (ut in Praefatione latiſſime demonſtravimus) & immediate Succeſſore , in Monaſterio Sionita : anno , reor , immediate poſt mortem Sancti : quae ex bis temporum notis , accidit anno Chriſti* 551. *Magna quidem ſimplicitate Scripta , ſed ſumma fide ; utpote ab aequali , familiari , religioſo , & ex*

dome-

(*a*) In Proleg. cap. 5. nu. 7. fol. 6. col. 1.

(*b*) Amanuenſem dormitantem exſcripſiſſe teſtatur idem Cl. Falconius . Ejus verba ſupra cap. 2. relata ſunt .

Digitized by Google

219

domeſticis monumentis, quae in Monaſterio ſervabantur. Et hinc factum eſt, ut externis temporum notis, hominum, & locorum, adamuſſim, perpetuo quadrent maxime. Quo tamen fato, ea tamdiu latuerunt, dixi quoque in Praefatione.

Num ipſe verum dicat, num *Acta genuina ſint, num temporum notis, hominum, locorumque adamuſſim, perpetuoque reſpondeant*, judicet doctus Lector, judicent eruditi. Si enim Criticae legibus ſtandum eſt; haec acta vitioſa, falſa, ſuppoſititia ab homine nugivendo ad arbitrium ficta fuiſſe pro certo habeo.

Hac mea opella nihil detractum velim doctrinae, & eruditioni S.Severinae in Brutiis Metropolitae. In varias enim homines abeunt ſententias: ſicut enim vultuum, ita ingeniorum eſt varietas, ut norunt omnes. Nobis ea adridet ſententia, quae hiſce Actis fidem nullam adhiberi poſſe adſerit probatque: & ſi rationes, ponderationeſque a nobis in hac Diſſertatione adlatas ſerio perpendat tam eruditus Falconius, quam doctus, cordatuſque Lector, noſtram ſententiam ab ipſis fore amplectendam certiſſime arbitror.

In hujus Diſſertationis calce operae pretium eſt aliqua breviter adferre, quae circa venerabilium oſſium Divi Nicolai translationem, e Mira Barium uſque in Apulia ſynchroni Scriptores tradiderunt; ac ſimul obſervare, quod de pretioſo liquore ab iiſdem oſſibus manantem dicendum ſit. Et ſi enim Ludovicus Morerius in Dictionario voce *Nicolas* adſerat translationis hujus Hiſtoriam auctoritate, ac fun-

Digitized by Google

220

damento carere ; optime tamen ipſemet Cl. Falconius hiſce relatis verbis addit in Proleg. fol. 68. *Hactenus Morerius ſua nimia libertate*. Et revera haec hiſtoria ab Auctoribus coaevis, ſupparibuſq: traditur ſcripta. Cl. Falconius haec habet in notis ad pag. 137. *Mirum (, & praecipue eſt notandum) in toto itinere, & Barii amplius de oleo, de liquore, de Myro e Sanctis Oſſibus S. Nicolai manante, nec hic quidem verbulum facere Nicephorum. Nemo tot infirmorum, quot infra narrat, ſanatus legitur eo potu, vel contactu, vel ad ejus aſpectum. Hoc ſilentium loquaciſſimum, & tamen hodie ab aevo, fons eſt, & perennis fluvius Sanctae aquae, in illo hypogaeo ad littus maris, ubi Eccleſiam nautae erexerunt. Certum eſt autem, hoc mirum Sanctum, Barii ex eo corpore, a XII. ſeculo jam manaſſe*. Quoſdam eruditos loquentes audivi, qui adſerebant Cl. Falconium de liquore ex Sanctis oſſibus manante dubitanter fuiſſe loquutum, ut adluta verba oſtendunt. Nos doctiſſimi viri intentionem perſcrutari non licet : Probare tantum in animo eſt, ante XII. ſeculum hujus liquoris memoriam, eamque ſynceram haberi : ſicque verum non eſſe quod ipſe adſerit ; *Certum eſt autem, hoc mirum Sanctum Barii ex eo corpore a XII. ſeculo jam manaſſe*.

Nicephorus Clericus Barenſis a Cl. Falconio editus haec inter alia habet in hujus Translationis Hiſtoria nu. 4., & ſeq. fol. 133. *Quod cum Barenſes audiſſent, diligenter hunc interrogant cuſtodem, de auſpicio viſionis. Quibus reſpondit :*

Inte-

Digitized by Google

221

„ Integer jam tranſactus eſt annus, ut Dei famulus Nicolaus, tribus ſuis innotuit Manſionariis, per viſionem praecipiens; ut notificarent habitatoribus civitatis hujus Myreae, qui pro metu Turcorum hinc aufugerant in montem (abſentem quaſi ad XII. ſtadia) ut aut redirent ad habitandam, & cuſtodiendam hanc civitatem; aut omnino ſcirent, eum alias migraturum: quod nunc ſicut cernimus, veris oſtendit indiciis. Ideoque ceſſet gladius, ſopiantur jurgia, acriores minae procul ſequeſtrentur: Et ſi permiſſum eſt vobis, ut Dei confeſſor veſtris conveniat arcibus; ſine noſtra turbatione, noſtraque laeſione, pacate abite. Sed quamvis culpabiles intueamur, noſmet ejus ſanctis praeceptis credimus. Deo volente, quod non ſic facile proprios deſeret ſervulos ... *Tandem inde praefatus juvenis, cui nomen Matthaeo, his acquieſcens alloquiis, cum ſociis ſuis recondito gladio, acceptoque malleo ferreo, viriliter percutiens marmoream tabulam pavimenti, Sancto ſuperſtratam corpori, penitus eam parva redegit in fruſta. Qui non dum multum foderat in profundum; cum ſocii ejuſdem inſiſtentes labori, repereunt tumbam marmoream, valde candidiſſimam: quam detegentes uſque ad medium, valde pavebant percutere eam, ne quid moleſtiae eveniret eis. Mox ille caeteris audacior, jam ulterius non valuit ſuae mentis tolerare fervorem; ſed pro nihilo duxit quidquid mali ei adveniret: qui fortiter ejus feriens coopertorium, minutatim fregit. Quo aperto uſque ad umbilicum, Sancti corporis, inventa eſt eadem*

Digitized by Google

tumba, plena ſancto liquore: ibi aſtantibus ambobus presbyteris, qui eum ferire juſſerunt, & quodam ex naucleriis, caeteriſque ſociorum, qui cunctis intererant factis. Praeterea tanta odoris fragrantia ſubito ſecuta eſt, ut omnes putarent, ſe in Dei Paradiſo conſiſtere. Quae non tantum praeſentibus, verum etiam congruis ſpirantibus auris; uſque ad mare, fere tria miliaria ſepoſitum, caeteris ſociis dilapſa eſt, ex qua reſpirati, extemplo omnia jacundantur laetitia; agnoscuntq. quod Sanctus Chriſti confeſſor, ſuis conſenſerit ſociis.

Poſt haec temerarius ille, totum audacter ingerens ſe Sancto, nihilque, ut dictum eſt, titubans, indutus, caligatus, ardenter Sacram deſcendit in tumbam. Qui ingreſſus, ſubmergens ſuas in liquore palmas, reperit reliquias Sanctas natantes; aromatum omnium ſuavitatem vincentes: quas inſatiabiliter deoſculatus, venerabilibus porrigebat presbyteris. Ex quibus datur intelligi, quod veridicus Chriſti confeſſor, libenter ſe annectebat Barenſibus. Quod videntes cuſtodes amariſſime plorabant, dicentes: Veſter eſt ſanctus; nam nunquam aliquibus talia conſenſit. Narrat deinde Nicephorus Barium Divi Nicolai corpus fuiſſe translatum. Et deinde quomodo corpus D. Nicolai Barium pervenerit nu. 11., & ſeq. ſic habet:

Igitur poſtquam Barenſes, ſuper Portum propriae civitatis applicuerunt, parentibus illorum, cum raticulis obviantibus eis, relatum eſt, quatenus ſecum translatum eſſet beatiſſimi confeſſoris corpus; quod dum quidam ex eis, veraciter agnoverunt, velocius remeantes ad litus, magnis cum vocibus, ac-

cla-

Digitized by Google

clamarunt hoc ibi aſtantibus: quod fama ubique divulgante per urbem, omnes catervatim concurrunt, ad tam mirum, amandumque ſpectaculum. Clerici vero Barenſes, ſacratis induti vetibus, caeleſtibuſque intenti favoribus, rapidis cum paſſibus deſcenderunt ad Portum, expectantes Sanctum ſuſcipere corpus. Interea naucleri ſimul, & nautae, per legationis officium, ſuis nuntiaverunt civibus, dicentes: Quando nos ſacrum tulimus corpus, tunc promiſimus, ut pariter nobiſcum condéremus ei dignam Eccleſiam in curte Dominica, quae dicitur Catapani. Petimus, ut noſtris aſſentiatis promiſſis. *Ex quo dicto, grandis inter omnes orta eſt diſſenſio: quorum alii, qui plures videbantur, laudarunt illorum ſponſiones; ~~alii vero~~ nequaquam; ſed cupiebant, ut Sanctus Dei confeſſor ferretur in Epiſcopium. Quibus, ex utriſque partibus litigantibus, factum eſt, ut Domnus Helias venerabilis Abbas Monaſterii Sancti Benedicti Civitatis ipſius, aſcenderet naves illas, & poſt libata oſcula ſancta, vectoribus dixit illarum.*

Huc adii Sophi petiturus pectora veſtra,
Fratres, quo Sanctum mihi vos cedatis amandum:
Cui nosveraces ſtudeamus reddere gentem;
Donec vobiſcum vulgus conſenſetit illud,
Quod promiſiſtis Sancto, Populoque petiſtis,
Domnica, quo curtis Nicolao ſit domus almo.

Cujus dilectae petitioni, omnes fideliter aſſenſerunt, Sanctum praebentes Corpus. Deinde juſſum eſt, Eccleſiarum omnium ſonare campanas, propter ejuſdem Sancti honorem: deponenteſque lipſanum San-

ctum

ctum ſumma cum cautela ; poſuerunt illud , ſuper altare ejuſdem Sancti Benedicti : omnibus ex partibus , diſpoſitis armatis navium , ne aliquam paterentur vim , a quacumque parte civitatis . Tunc vero miſſum eſt feſtinanter ad Domnum Urſum Barenſem Archiepiſcopum , ut ad tam mirificam , excellentiſſimamque rem , quam citius feſtinaret : qui eo ſcilicet tempore aberat Canuſiae , pro cauſa Sanctitatis implenda . Quo audito , dum cito citius Barim repedaret ad urbem , ſonipes ejus non tantum ſuis curſitabat gradibus , quantum ipſius animi ardor feſtinare anhelabat . Ingredienſque civitatem , feſtinus ad Sanctum declinavit corpus : cui debitam reddens venerationem ; tanto gaviſus munere , ad proprium remeavit ſedem : diſponens , ut reverenter illud ad Sanctum geſtaret Epiſcopum . Quod audientes Nauclerii cum ſociis ſuis , immo , & populi , qui eorum conſenſerant velle ; omnes aeque concurrunt ad reſiſtendum : quod dum idem Praeſul audiſſet , ab illa profectione ſuum retraxit pedem . Tunc miſſi ſunt ei Legati nobiliſſimi , ac ſagaciſſimi Barenſium viri , deprecantes , ut eorum conſentiret voluntati . Poſtquam vero Legati reverſi ſunt ad ſuos , ſine cupita reſponſione , graviter inter ſe tumultuari caeperunt ; eo quod Praeſul ipſe meditaretur vi , vel dolis , Sanctum corpus auferre . Igitur dum ex utriſque partibus ſubito , arreptis armis , commiſerunt pugnam ; accidit , ut ex ambabus turmis , morerentur duo adoleſcentes ; quorum animas veraciter credimus , atque firmamus in perpeti beatitudine fore locandos , ſummo fovente Deo : eo quod uterque propter doſiderabilem appetitum San-

cti

Digitized by Google

*ctí corporis objerunt . Quibus adhuc dimicantibus ;
Sanctum corpus e veſtigio ſublatum eſt ab ipſo Mo-
naſterio , cum grandiſſimo honore armatorum , alio-
rumque populorum , clamantium* Kyrie eleiſon , *cae-
teraſque canentium laudes . Qui enudatis capitibus ,
educentes illud per poſterulam ejuſdem Monaſterii ,
a parte maris , detulerunt in praefatam Curtem ,
ad Eccleſiam Sancti Euſtratii Martyris Chriſti .
Qua everſa poſt aliquot dies , cum aliorum San-
ctorum Eccleſiis uſque ad ſolum , constructa eſt in
eis , cum alio ſpatio ejuſdem curtis , ſplendidiſſima,
ac magnifica Eccleſia ab eiſdem Barenſibus ad ho-
norem beatiſſimi Nicolai , ipſorumque Sanctorum .
Diſponente eo fundamine , eodem Domno Helia Ab-
bate , cum Barenſium nobilibus , qui praeerat cu-
ſtodiae ejuſdem Sancti corporis , rogatus ab eodem
Archiepiſcopo , cunctiſque civibus . Quod ne inva-
deretur ab aliquibus per vim ad tollendum , cuſto-
diebatur die , ac nocte , a diverſis phalangibus ar-
matorum , donec honorifice locaretur in eadem Ec-
cleſia . Sublatum eſt autem Corpus ſacratiſſimum
Sancti Nicolai confeſſoris Jeſu Chriſti de Myrea
Civitate , undecimo die Aprilis , jam tendentis ad
exitum* . Nicephoro Barenſi fidem eſſe adhiben-
dam certum eſt , quum auctor Synchronus ſit:
unde nu. 14. ſic habet .

*Poſtquam vero ipſa feria portavimus idem San-
ctum Corpus in eandem curtem , curati ſunt qua-
tuordecim infirmi ; quos item dinumerare , longum
eſt . In quarta quoque feria , curati ſunt viginti
& novem infirmi . Primum , quaedam demoniaca ,
tota arida , de villa quae dicitur Terlizzus ; &*

quae-

quaedam puella de Civitate Bitunto ; & quaedam mulier de Civitate Aſculo ; & quaedam mulier daemoniaca de Civitate Taranto . Lunatici tres ; caeci duo ; & alia mulier gibbo preſſa ; & quaedam mulier de oppido S. Viti (quod eſt Caſtro Montis Scagioſi) quae quotidie per plures vices cadebat graviter, anxiata uſque ad exitum animae. Haec diligenter inquiſita a me , quid vidiſſet , quando ſanata eſt , dixit : veniſſe ſuper ſe , unum magnum accipitrem , & ſtetiſſe ſuper pectus ſuum , & expanſis alis cooperuiſſe ſe. Quo recedente , ſubito ſubſecutus eſſet tam ſuavis odor , ut aeſtimaret , ſe fore in Paradiſi amaenitate . *Quod , & alii ex curatis , ſimiliter teſtati ſunt* . Haec Translationis Hiſtoria in Codice membranaceo Vaticano in ſol. inter latinos nu. *6*074. fol. 5. a tergo reperitur . Jam hactenus ineditam publici juris fecit Cl. Falconius pag. 131., & ſeq.

Oſſium Divi Nicolai Translatio e Myra Barium anno 1087. peracta eſt . Eo tempore vivebat Sigebertus Gemblacenſis in Brabantia Monachus Ordinis S. Benedicti : qui obiit anno 1113. ut videre eſt apud Natalem Alexandr. ſec. 11., & 12. to. *6*. cap. *6*. art. 3. nu. 5. fol. 514. lit. D. & Guilielmum Cave in Sigeberto, alioſque . In Chronico hujus Scriptoris quod inter Scriptores Rer. German. fol. *606*. legitur hujuſce Translationis etiam memoria habetur ad ann. 1087. , ſic : *Venetianis meditantibus auferre corpus S. Nicolai a Myrhea Lyciae a Turcis deſolata , praeoccupaverunt eos Barenſes cujus numero*

47.,

Digitized by Google

47. ; ab Antiochia Myrrheam venientes , qui a quatuor tantum Monachis ibi inventis extorſerunt oſtendi ſibi tumbam Sancti . Qua effracta , oſſa S. Nicolai in olei liquore natantia integro numero extraxerunt , & Barum cum gloria detulerunt . Facta eſt autem haec translatio , anno 745. a depoſitione Sancti Nicolai .

Auctorem Synchronum fuiſſe Sigebertum ex dictis liquet aperte. Pulcherrimum autem, ac vetuſtiſſimum hujus liquoris ex oſſibus Divi Nicolai manantibus teſtimonium ex vita S. Godefridi Ambianenſis Epiſcopi deſumtum eſt. Eam conſcripſit Nicolaus Monachus Sueſſionenſis, Auctor coaevus, quam publici juris fecit Laurentius Surius to. 11. ad diem 8. Novembris pag. 209. & ſeqq.. In qua ſic loquitur Auctor nu. 1. Prologi: & *Si autem de illo multa exſtent, plurimaque memoria ſuccurrat, nos tamen ea dumtaxat annotabimus, quae pene omnes noverunt*. Apud omnes notiſſima ergo ſcribebat: poſt pauca haec habet; *Adjuvante igitur nos ſpiritu Dei, & precibus ipſius Godefridi Epiſcopi ſuffragantibus, ejus ortum, mores bonos, felicemque e corpore migrationem, non fallacioſe, ſed ſyncere coram Deo in Chriſto ſcribere connitemur. E quibus pauca quidem noſtris oculis vidimus: reliqua vero hominum veracium, qui illum familiarius, & videre, & audire potuerunt, fideli relatione didicimus, puta Renigerii Monachi S. Quintini, cujus caenobium Peronae urbi propinquum eſt, qui Renigerius a puero diſcipulus fuit noſtri hujus praedicandi Godefridi: & cum ego ei loquerer, aetatis exceſ-*

Digitized by Google

228

exceſſerat annum ſexageſium ſextum, & in Monaſterio vixerat annos quinquaginta. Robardi etiam viri Venerabilis, qui in Sveſſionenſi Eccleſia Decani officio nunc fungitur, quemque hic Dei Servus Godefridus ab ipſis incunabutis (nam erat ejus ex ſorore Hodierna nepos) apud ſe educavit, & ad reverendos provexit mores. Qui ſane memoria ſempiterna dignus eſt; tantoque poteſt verius de Beato viro teſtari, & proloqui, quanto ejus praeclare dicta, & facta omni venerationis ſtudio complectenda familiarius cognita, & proſpecta habere potuit. His accedit Giſlebertus, vir aeque per omnia fide digniſſimus, qui ei individuus terra, marique uſque ad ſupremum vitae ejus diem comes adhaeſit. Quod ſi quis impudenter oblatrare, & carpere nos velit, cur non tam viſa, quam audita referamus accipiat ille, quod B. Gregorius Pontifex, & Doctor in Dialogo ſuo dicit, Lucam, & Marcum Evangelium, quod ſcripſerunt, non viſu, ſed auditu didiciſſe. Itaq: cum Doctor Gentium teſtis ſit, fidem ex auditu conſtare tantorum virorum freti authoritate ad dicenda ea, quae de B. Viro ſuſcepimus, nos accingamus. Omnia igitur, quae narrat, vel ipſe vidit Auctor, vel ab ocularibus teſtibus accepta refert. Ipſi ergo ſumma debetur fides. De ſinceritate hujus Hiſtoriae late agit Bailletius in Indic. ſive in Tab. critica ad menſem Novembris, ante ejusdem menſis Sanctorum vitas. In hac ergo Hiſtoria praeclariſſimum extat de hoc liquore teſtimonium lib. 2. nu. 17. fol. 218. ubi legitur; *Venit autem Beatus Epiſcopus ad Barenſem Civitatem, & apud Bea-*

ti Ni-

Digitized by Google

229

ti Nicolai, miraculis celeberrimi Praeſulis Reliquias diutiſſime cum multis lacrymis precatus eſt, altera luce, annulo aureo, & reliquis Sacerdotalibus ornamentis indutus Sacroſancta Miſſarum ſolemnia ſupra ejus oſſa oleum ſtillantia devotiſſime celebravit. Capite autem ſequenti, haec habet; *Ubi autem animadvertit ejus regionis Epiſcopus Godefridum animi conſtantia, & fortitudine Epiſcopos alios anteire, incredibili admiratione affectus eſt. Galliarum enim, atque etiam aliarum terrarum Praeſules, cum eo proficiſcuntur, vili habitu celant ſe, ne poſſint agnoſci. At Godefridus neque longitudine itineris, neque nationis feritate tractus, mutavit habitum, nec ſe ſtuduit occultare. Namque ut leo confidens, & abſque terrore permanens, omnes amicorum loco babuit, nulli ipſe nocere cupiens. Haec ergo in eo Epiſcopus, quem diximus, animadvertens, ex animo amplectitur virum, eique amando totum ſe applicans prae cunctis mortalibus colendum aſſirmat. Comitibus quoque illius multa humanitatis officia alacriter praeſtitit, atque ad extremum olei partem quamdam a Beati Nicolai oſſibus profluentis Beato Viro in vaſe vitreo ad hoſpitium more Eccleſiaſtico ſolemniter tranſmittit. Quod quidem vir Dei cum ingenti devotione, nec ſine tremore venerabundus accepit, auro, & gemm's quibuſvis charius illud amplectens, pluriſque aſtimans. Appendit autem illud ad collum ſuum magnum ſibi adverſus hoſtium inſidias in eo praeſidium conſtituens.*

Hic plura ſunt obſervanda: Auctorem vitae S. Godefridi ex certiſſimis teſtimoniis ſuam Hiſto-

Digitized by Google

230

Hiſtoriam contexiſſe ac plurium rerum ocularem teſtem fuiſſe certum eſt: proindeque ſumma ei debenda fides. Adeo percelebre hoc teſtimonium eſt ex hac Divi Gothefridi vita deſumtum, ut ipſemet Hadrianus Bailletius illud magni faciat: En ejuſdem verba ad diem 6. Decembris to. 3. in vita Divi Nicolai nu. 5. col. 99. *Nos exemplum percelebre vidimus ad diem 8. Novembris in perſona Divi Gothefridi Epiſcopi Ambianenſis, qui viginti annis poſt hanc translationem parvam phialam ſecum tulit oleo ſancto plenam, quod ex Divi Nicolai ſepulchro Barii manabat, eodem modo, quo hoc oleum Myrae perſpectum eſt:* & in vita ejuſdem Gothefridi nu. 4. ad diem 8. Novembris to. 3. col. 114. *Diſceſſit deinde, ut Barium pergeret, ad obſequia praeſtanda ſepulchro Divi Nicolai, ex quo parvam phialam oleo plenam detulit ex ejuſdem oſſibus manantem.* Paucis igitur annis poſt Translationem oſſium Divi Nicolai Myra Barium, praeclarum hunc liquorem ex ejuſdem oſſibus manantem, ſecum detulit Divus Gothefridus.

Quare nil profecto certius, quam Myrae primum, ac Barij poſt Translationem, eiſdem ex oſſibus liquorem admirabilem emanaſſe.

Apud tomum ſeptimum Laurentii Surii ad diem 9. pag. 116. Hiſtoria Translationis oſſium Divi Nicolai exſtat eodem circiter tempore a Johanne Archidiacono Barenſi ſcripta, Urſo Barenſi, & Canuſino Archiepiſcopo directa, ſub quo Praeſule Translatio oſſium Divi Nicolai

Digitized by Google

231

colai contigit, in qua luculentiſſimum pretioſi liquoris, ex oſſibus Divi Nicolai manantis reperitur teſtimonium. Cl. Falconius pag. 131. col. 1. in notis ad Translationis hiſtoriam a Johanne ſcriptam, eamdem cenſet eſſe, quam ex Nicephoro Barenſi Clerico exhibet: ſed noſtra ſententia fallitur vir doctiſſimus, pro qua adſertione noſtra duo habemus, eaque ineluctabilia argumenta: Primum eſt, utramque Hiſtoriam non eodem ſtylo deſcriptam fuiſſe, quod legenti patet. Secundum argumentum hocce eſt; Falconius adſerit ineditam ex Vaticano Codice Nicephori Hiſtoriam a ſe publici juris fieri: Si ergo nulla eſſet inter utramque differentia, ac a Nicephoro conſcripta Translationis Hiſtoria eadem eſſet, quae Johannem Barenſem haberet Auctorem, quo jure ineditam dicit Cl. Falconius, ſi haec apud Surium legitur? In hac Hiſtoria Johannes Barenſis Archidiaconus ſic loquitur nu. 5. 7. 8. ap. Surium ibidem fol. 117. & ſeq.; *At ubi Eccleſiae clauſtra ingreſſi ſunt, arma depoſuerunt, aedemque ſanctam humiliter, ſuppliciterque ſubierunt, & Sancto preces obtulerunt: Finitis omnium precibus, ante dictos cuſtodes ſine di latione de ſancto corpore percontati ſunt, & ubinam jaceret. Quibus illi;* Hoc loco, *inquiunt*, ſicut a noſtris accepimus deceſſoribus ſine ambiguitate repoſitum credimus: *& his dictis locum oſtenderunt. Deinde ſancto liquore de more ſolito extrahentes illi tribuerunt: de quo cum acciperent quidam in ſua va-*

 ſcula

Digitized by Google

232

ſcula , Lupus Presbyter Barenſis illorum comes in vitrea ampulla de eodem excepit , quae alto loco interim dum loquerenter , quae ſecure illic ſervaretur , repoſita , caſu improviſo in pavimentum marmoreum cecidit ; ſed nihil de ſua integritate amiſit , ſolidaque , ut prius fuerat , non ſine omnium , qui aderant admiratione , de pavimento levata eſt. Tum vero caeperunt cum monachis ſupra dictis quaſi tentantes colloqui , dicereque ſe velle inde ſacrum corpus tollere , & ad ſuam patriam transportare . Plura narrat Archidiaconus , deindeque ſubdit nu. 7. & ſeq. *Idem vero juvenis immitens manum , primoque liquorem attingens ſenſit eſſe valde copioſum , ita ut urna eadem , quae non parva erat , quaſi uſque ad medium plena eſſe videbatur . Deinde immergens dexteram , theſaurum pretioſiſſimum , quem ineffabili deſiderio quaerebat , invenit ; inventumque impavidus celeriter extraxit , nam ſicut ipſe nobis retulit , verbis credibilibus fidem faciens , numquam ſe tam ſecurum , atque interritum ſtetiſſe fatebatur . Unde quis ambigat tanto in opere , ne formidaret , ope Angelica eum fuiſſe confirmatum ? expoſitis autem membris caeteris confuſe , ac temere caput adhuc deerat : quo nondum reperto , triſtes aliquantulum ſunt effecti : quapropter inclinans ſe juvenis ille non ut prius ſolis immerſis manibus in multo liquore quaeſivit illud , verum etiam audacia temeraria pedibus ingrediens (ſic enim neceſſitas admonebat) ſanctum caput hinc inde quaeſivit , repertoque egreſſus eſt , ſalutiſero de latice veſtibus , & toto corpore madefactus ...... His itaque conſummatis , loculus illis*

deerat ,

Digitized by Google

233

deerat, in quem ſancta illa Omnipotentis Dei inferrent munera. Namque inopinato, & ex improviſo iſtud eis evenerat, & idcirco nihil tale praeparatum ſecum attulerant quo excipere illa honeſteque componere poſſent: Sed tamen alterius ex iis, quos diximus Presbyteris, exuta, quam induerat tunica, quae aliis paludamentum vocatur, prout poterant, ea involverunt: ſtatimque ſubeunt Lupo Presbytero per humeros ejus guttis odoriferis decurrentibus, onus leviſſimum nulla terreni ponderis gravitate moleſtum, cum omnes eſſent armis accincti fulgentibus, aſportarunt praedam ſanctiſſimam, non ex hoſtibus ferentes, ſed ex Dominico Gazophylacio, divina largiente gratia, ſumentes, *theſaurumque venerabilem de arca ſanctiſſima furto laudabili tollentes, non ſine Angelico, ut putamus, comitatu, exultantibus animis cum laudibus altiſonis, quantum quidem laici ſciebant, ad littora propere remeabant*. Manabat ergo ſanctus hic liquor ex Divi Nicolai oſſibus eo tempore, quo Barium translatum eſt: quum hoc ex Synchronis Auctoribus conſtet. Nihil igitur impraeſentiarum addere in animo eſt: quum & Acta nuper in Vaticano Codice inventa, atque ut ſyncera publici juris facta, falſa, ac ſuppoſititia eſſe, abunde ſit demonſtratum: & ex Auctoribus ſynchronis liquor ex Divi Nicolai oſſibus manans ab eo tempore; quo ejuſdem venerabile Corpus Myra Barium translatum eſt, clariſſime comprobatus habeatur.

F I N I S.

Digitized by Google

234

EMINENTISSIMO SIGNORE.

GIuſeppe Raimondi publico Stampatore di queſta Fedeliſſima Città, ſupplicando eſpone a V. E., come deſidera ſtampare un libretto in ottavo intitolato: *De Actis Divi Nicolai, ut ſinceris ac genuinis ex Vaticano Codice exſcriptis ac nuper vulgatis*, per tanto ſupplica l'E. V. di commetterne la reviſione a chi meglio li parrà, e l'averà da V. E. a grazia, ut Deus &c.

Admodum R. P. Fr. Joachim Majo Ordinis Praedicatorum S. Theologiae Profeſſor, & in Almo Collegio S. Thomae Aquinatis ejuſdem Ordinis Artium, & Matheſeos Profeſſor revideat, & referat. Datum Neapoli hac die 12. *menſis Auguſti* 1753.

C. EPISCOPUS CAJACENSIS VIC. GEN.

JULIUS NIC. EPISC. ARCAD. CAN. DEP.

EMINENTISSIMO SIGNORE.

HIſtorico-Critica Diſſertatio, qua, acta Divi Nicolai, ut ſincera, & genuina ex Vaticano Codice exſcripta, ac nuper vulgata; ad libellam exiguntur, atque mendoſa, & commentitia demonſtrantur per Clariſſ. Virum Ludovicum Sabbatini de Anſora Aquilanae Eccleſiae Epiſcopum, ab Eminentia Tua mihi demandata, nihil exhi-

bet

Digitized by Google

235

bet Religioni, moribuſque diſſonum; imo verita-tem Sartam tenens Auctoris ingenium, eruditionem, ſinceritatem, quae patefacit. Typis itaque deman-dandam illam, cenſeo.

Ex almo Collegio D. Thomae Aquinatis III. Kalendas Octobris Chriſtianae epoche anno CIↃIↃCCLIV.

Humill., & obſeq. Servus
Fr. Joachimus Mayo.

Attenta relatione Domini Reviſoris imprimatur. Datum Neapoli hac die 11. *menſis Novembr.* 1753.

C. EPISCOPUS CAJACENSIS VIC. GEN.

JULIUS NIC. EPISC. ARCAD. CAN. DEP.

S.R.M.

Digitized by Google

236

S. R. M.

SIGNORE

GIuſeppe Raimondi, publico Stampatore di queſta Voſtra Fedeliſſima Città, ſupplicando eſpone alla M. V., come deſidera ſtampare un libretto in ottavo, Intitolato: *De Actis Divi Nicolai, ut ſinceris, ac genuinis ex Codice Vaticano exſcriptis ac nuper vulgatis*, per tanto proſtrato a' piedi di V. M. ſupplicandola di commetterne la reviſione a chi meglio li parrà, e l'averà dalla M. V. a grazia, ut Deus &c.

U. J. Doctor D. Antonius Genuenſis profeſſor Regiae Univerſitatis ſtudiorum revideat, & in ſcriptis referat. Die 28. *Julii* 1753.

Nicolas de Rosa Episc. Put. C. M.

S. R. M.

AVendo letta la diſſertazione *de Actis Divi Nicolai ut ſinceris & genuinis &c.* non ci ho trovato nulla contra il gius Regio, e niente contra i buoni coſtumi. Per la qual coſa io ſtimo, che poſſa promulgarſi colle ſtam-

Digitized by Google